

CAMERARIUS (Joachim)

ECLOGAE ET ALIA POEMATATA (2954 vers)

LIBELLUS CONTINENS ECLOGAS ET ALIA QUAEDAM POEMATIA DIVERSIS TEMPORIBUS  
 ET OCCASIONIBUS COMPOSITA, A IOACHIMO CAMERARIO PABEPERGENSI,  
 PLERISQUE NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODEUNTIBUS. LIPSIAE ANNO M. D. LXVIII.

## ECLOGA I. MENALCAS, THYRSIS.

MENALCA

E\_1 v.1 Thyrsi novella tuae carpunt virgulta capellae,  
 2 hic ubi silva regit Galli cognominis arcem,  
 3 interdicta gregi gregis interdicta magistris.  
 4 Vidi ego praeteriens, et abegi a frondibus ista,  
 5 bella reliquerunt quam vix mihi proxima clava.

THYRSIS

6 Communis ne etiam prohibebimur aeris usu,  
 7 corpora resque tenent nostras, cur vita Menalca  
 8 heu miseris superest ? Essemus morte beati.

MENALCA

9 Quo sis Thyrsi loco, quaque in regione memento.  
 10 Nil tacite satis effertur, mentis quoque tutos  
 11 esse parum sensi motus. Victoris ad aures  
 12 omnia fert miscens veris mendacia fama.  
 13 Nos quoque si volumus quod res est, Thyrsi, fateri :  
 14 felices nimium fuimus, piguitque manere,  
 15 adversus dominos cum cepimus arma coloni,  
 16 et manibus dejecta solum planxere nefandis  
 17 tecta superba patrum. Nunc quas dejecimus arces,  
 18 pensamus merita nostro de sanguine poena.

THYRSIS

19 Non omnes fuimus scelerata mente Menalca,  
 20 crede mihi rapuit multos in proelia partis  
 21 vis, quae desertos subigebat, seditiosae.  
 22 Quid facerent inter dominis fugientibus illi  
 23 hostilem turbam ? Multos quoque vidimus horum  
 24 se junxisse suis de servis hostibus ultro.  
 25 Ergo quod iis impune fuit, victoria contra  
 26 dum stabat, quocumque modo quaesivisse salutem,  
 27 nec voluisse suam vitam pro laude pacisci,  
 28 ignoscant eadem turbae peccata misellae,  
 29 vindictaque velint saltem moderatius uti.

## MENALCA

30 Haec utinam possis ipsis, quoque Thyrsi probare,  
 31 non videat patriis alienos Illus in agris,  
 32 Thestylis abducti non ploret fata mariti :  
 33 quem jam bis senos stringunt prope vincula menses,  
 34 nullius sontem sceleris neque crimine laesum.  
 35 Haec tibi pro meritis redduntur praemia Moeri.

## THYRSIS

36 Nos servasse fidem tamen hunc audivimus inter  
 37 deformem dominique fugam plebisque tumultus,  
 38 atque suum innumeris caput objectasse periclis,  
 39 dum paci medium sese offert, agmina solus  
 40 seditiosa obiens propter Regnesidas undas.  
 41 Illo etiam insonti victores et caput et rem  
 42 pollicitos, dictum est, fore salva ita ut ante fuissent.

## MENALCA

43 Audisti verumque fuit. Sed gratia tantum  
 44 pro meritis, postquam timor est sublatus, habetur,  
 45 succensum quantum satiant ligna arida flammam,  
 46 aut quantum esuriens teneris lupus abstinet agnis.  
 47 Tum vero promissa celer nunc Thyrsi, fidemque  
 48 fert Aquilo, et saevi dispergunt aere Cori.

## DIRAE SEU LUPUS. ECLOGA II.

E\_2 v.1 Omnia lustratis certo qui lumine Divi,  
 2 di ruris pecudumque et agrestia numina, vosque  
 3 Caelicolae, neque enim vobis indigna videri  
 4 haec quoque cura potest, nostris advertite vestros  
 5 propitii rebus vultus, haec praemia contra  
 6 inveniatur pietas audacia facta malorum.  
 7 Ecce greges misera formidine nunc etiam intra  
 8 saepta tremunt, vacuis tutus manet hostis in agris,  
 9 hostis in exitium natus pestemque bonorum,  
 10 nullo crudeles satiatus sanguine rictus,  
 11 cuncta cruentivoris qui per loca faucibus errans  
 12 interitum miseri spirat gregis, omnibus ille  
 13 infestus stabulis lupus, ah lupus ille meorum  
 14 o dolor ille meus. Sed nec vos turba fidelis  
 15 rebus heri custosque canis potuisse tueri  
 16 commissas paucas pecudes. Tuque omnibus ante  
 17 esse aliis praestans qui strenuitate solebas  
 18 Argeme, quo virtus tua, quo nunc robur abivit ?  
 19 Scilicet hoc fuerat ? Neque enim nitet ut prius, estque  
 20 scabra cutis, lacrimis oculus completur obortis,  
 21 dens livet, miserum me, num pede claudicat uno ?  
 22 An magis est fractum tibi crus, aut fallor, utrumque ?  
 23 Cujus ego hoc dicam scelus ? An quoque scilicet ille  
 24 impius incautum et nota virtute superbum  
 25 insidiis captum sic debilitavit, et ingens  
 26 Argeme praesidium nostris te rebus ademit ?

27 Quae superi vobis est delectatio, tales  
28 vivere in exitium pestes, et damna valere  
29 armentorum hominumque, nec illis posse nocere  
30 morborumve famisve luem, cum corpora nostra  
31 et pecoris placidi tot sint obnoxia damnis ?  
32 Quid faciam ? Aut scelerate modo quo te lupe perdam ?  
33 Nunc tuum ad exitium ferrum et mihi flamma parata est,  
34 nunc lacerare tuas et agris dispergere carnes  
35 gestio, nunc avibus fixas cruce grandibus escam  
36 ponere : sed nostram tutus fugit impius iram,  
37 et silvam latebrasque suas manet inter opacas.  
38 Nocte abit ad praedam, neque tunc ignem aut timet ensem,  
39 devitatque pericla oculo penetrante tenebras.  
40 Auxilium reliquum est solum et spes carminis : illo  
41 in viridi gelidum disrupti vidimus anguem,  
42 et tenero intectas crescentes gramine fruges,  
43 torrentisque retro conversas fluminis undas,  
44 pinguibus eversam hoc segetem quoque messe propinqua  
45 atque arvis alios migrasse feracibus agros,  
46 et siccata bovis plena ubera constat opimae.  
47 Quin etiam infernas invadere carmina sedes,  
48 atque audent imis animas excire sepulchris.  
49 Quid memoro terrena ? Rubentem carmine Phoeben  
50 et nescire loco scimus potuisse moveri.  
51 Carmine quid dicam ventos imbresque citatos,  
52 et densa latos conspersos grandine campos ?  
53 Carminibus junctus, subiit juga Colchidos anguis  
54 flammeus, aerioque impressa est orbita clivo.  
55 Exitio letoque tuam dabo, scilicet et me  
56 respicient superi, nutritam sanguine vitam.  
57 Haec mihi quae trivio fossa est de tramite radix,  
58 atque haec herba notis superinsignita cruentis,  
59 suspensa arboribus, tua qua vestigia, quaque  
60 reliquiae praedae, pelles, et dissita totis  
61 lana jacet fundis, et humo simul obruta : tandem,  
62 si Furiae et noctis, Dirae aspirare favorem  
63 progenies, nostro invitatae carmine, pergunt,  
64 te Lupe te misera prosternet morte, tuumque  
65 obiciet calcatum avibus lacerumque cadaver.  
66 At vos o saevae huc immansuetaeque sorores  
67 ferte simul Furiaeque pedem Diraeque timendae,  
68 et metuenda malis vindicta, furorque laborque,  
69 ac scelerum vestris caput hoc agitate flagellis,  
70 atque diu multumque prius vexate, fugaeque  
71 terrorumque malis, animam quam mittere Diti  
72 vestrum odium et feritas dignetur, ubi ille suorum  
73 persolvat scelerum poenas sine fine modoque.  
74 Interea metuat semper mens conscia, cunctos  
75 horrescens aurae strepitus, cupiatque nocere  
76 nec tamen inveniat. Sed et haec simulacra nocendi  
77 perturbent animum miserum, et se plus quoque quam sit,  
78 quamvis esse magis nequeat, putet esse nocentem.  
79 Spectet inescatam ad vestigia singula fossam,  
80 cuncti intenta sibi videantur spicula rami,  
81 omnibus et laqueati innexi in vepribus hami,  
82 deposita et foliis medicata sub omnibus offa.

83 Semper te armatum visum inclamare viator,  
 84 semper et exagitare velit, tibi tela tibi arcus  
 85 gestet, et audaci venabula grandia dextra.  
 86 Uno sed numquam eripiat conamine vitam,  
 87 nuncque aurem, nunc et spumantia saucius ora  
 88 incanasque genas, et nares turpiter atras  
 89 nunc ignita etiam et splendentia lumina nocte,  
 90 aufugias, foedoque diu cruciere dolore.  
 91 Saepe pedes fixus ferro spinave recedas,  
 92 in latus et partem tamquam casurus utramque :  
 93 tunc vero te agat et per rustica turba sequatur,  
 94 nec facile effugere et minime pugnare valentem,  
 95 Te longa atque nivosa et iniquo frigore bruma  
 96 seminecemque fame et consumptum tabe relinquat,  
 97 omnia sint inimica tibi caelumque solumque  
 98 fluminaque et curvis stagnantes vallibus undae.  
 99 In te saeva ruat catulis orbata, canumque  
 100 ursa ferox ira et multo irritata latratu.  
 101 Atque utinam et nostra edantur tellure leones,  
 102 deprecet in te unguis aliquis distringat acutos,  
 103 deque cutem foeda trahat a cervice revulsam,  
 104 quo miser ex uno prolixam vulnere mortem  
 105 oppeteres. Sed cum silvis ac montibus errent  
 106 non ulli nostris, caveae sed frangere clatres  
 107 harum alicui detur, quae per spectacula quondam  
 108 ducunturque ferae et Regum servantur in aulis.  
 109 De tamen hac nostra quaecumque cupidine fiant,  
 110 te timor infestet, premat et miserabilis horror  
 111 aeternum, et graviora etiam gravioraque multo  
 112 exspectes speresque miser, sitque omnibus unum  
 113 supplicium ante aliis cedens perculsa metu mens.

QUERELA SIVE AGELAEUS, 'εἰς ποτηριοκλέπτην' ECLOGA III.

E\_3 v.1 Ergo novis tenuis mea res obnoxia damnis  
 2 semper erit ? Lacrimas semper jactura recentes  
 3 eliciet quaedam, et curas curae accumulabunt ?  
 4 Vix miseras, laesis multis, in ovile reductas  
 5 collegi medicans pecudes, magnosque dolores,  
 6 mente gregis consternati maerente, repressi :  
 7 devovique lupum diris, saevasque sorores,  
 8 quae face, quae ferro exagitant lorisque nocentes,  
 9 in caput infandum et facta ad scelerata vocavi :  
 10 cum novus heu dolor obicitur, nova cordaque remque  
 11 detrimenta meam lacerant : furtoque requiro  
 12 pocula rapta mihi, pulcherrima pocula, quorum  
 13 materiam vincebat opus, nec dicere posses  
 14 contemplans oculis, de qua trabe sectilis esset  
 15 termes, et in nostra lignum crevisse negares  
 16 arbore, sed terrae silvas misisse remotae.  
 17 At bonus Euphorion caelarat imagine multa,

18 frondeque acanthifera geminas obduxerat oras :  
19 in medio vivis saliebat sontibus unda :  
20 septenas, mirum, unda vias diversa recurrens  
21 ad caput, et liquido complectens labra meatu.  
22 Hanc propter, Pan verus oves per gramina, perque  
23 auricomos flores, per prata virentia servans  
24 pascebat, quasdam et lympham mersare salubri  
25 cernere erat, scabiemque gregi detergere fidum  
26 pastorem. Primo hoc pecudes tenuisse magistro,  
27 scimus laeta, omni posita formidine, tutas,  
28 pascua, et in silvis errasse armenta reductis.  
29 Non custode lupus fuit hoc metuendus ovili,  
30 quem siccae fauces, rabiesque instigat edendi  
31 verrentemque solum cauda, insidiasque parantem,  
32 cum fremit ad caulas perpessus plurima, et ille  
33 impastus, vesana fames, leo, quippe furenti  
34 suadebat, stabula alta ausus petere ore cruento,  
35 rejectus, rapidos frustra distringere rictus,  
36 et quassare jubas frustra et collidere caudam.  
37 Parte alia, ut de centum ovibus deerraverat una,  
38 inventam gestabat : onus praedulce reportans  
39 ipse suis humeris, servata laetus alumna.  
40 Parte alia fetam pecudem enisumque gravatam  
41 ipse levans, tenerum referebat vimine partum.  
42 Idem etiam horrendi, gyris ingentibus, anguis  
43 virosum caput et jugulum contriverat, ille  
44 vano calcipetam vibrabat verbere caudam.  
45 Ad fundum mulier niveo circumdata amictu,  
46 et velata comam, atque oculos dejecta pudicos,  
47 parvum sollicitis manibus complexa tenebat,  
48 infantemque sinu puerum lactabat aperto,  
49 unica cura Dei atque aeterno tempore Veri  
50 Panis amor. Cupido spectans quae lumine divum  
51 pendere a solo se significare volebat.  
52 Illum haud inferior sub pectore cura fatigat :  
53 dissimulat vero, atque alio sua lumina flectit,  
54 in carae vultus tamen illa subinde retorquens,  
55 nec texisse potest divinae incendia flammae.  
56 Quid memorem his quoque plura alia ? Ut superevolet ales  
57 candidus undantes latices hic, florea surgat  
58 istic purpureo resplendens virga colore.  
59 Ut niveos panes puer urna deserat aurea,  
60 torreat ut geminos pisces carbonibus alter  
61 impositos, dulcesque favos in caespite ponat,  
62 vinea ut uviferos spargat formosa racemos.  
63 Haec quondam egregius pastor mihi donat habere  
64 pocula Sosylus, qui multa pericula cernens  
65 impendere sibi, haud capiti vitaeque pepercit,  
66 ut grex tuta suae commissus pabula curae  
67 carperet. Ille mihi quondam in regione futurus  
68 infestaque feris diraque latronibus, inquit,  
69 ista tenens sacra caelestia pocula dextra :  
70 "Accipe care puer, quae nunc tibi munera pastor  
71 montibus in vestris nulli bonitate secundus  
72 sponte fero, certae in discrimina mortis iturus.  
73 Haec quoties festis facietis sacra diebus

74 pastores, mensasque piis onerabitis escis,  
75 Sosyli memores, positas spumantia vino  
76 ante dapes statuētis et his potabitis omnes :  
77 nominis atque aliquis nostri praefatus honorem,  
78 haec pastor dicet nobis dedit optimus ille  
79 ferre sui aeternum monumentum et pignus amoris."  
80 Dixerat. Atque illum immeriti praesagia leti  
81 exceperē, feris vitam, saevoque reliquit  
82 corporis exuvias et vestimenta latroni.  
83 Hunc liquidi flevere lacus, rupesque dederunt  
84 horrendos gemitus, tremuitque exterrita tellus  
85 morte viri, et claros texit caligine vultus  
86 Phoebus, ut e medio tum decedebat Olympo.  
87 Ast ego divini pastorum dona magistri,  
88 saepe hilaris festis veneratus coetibus, hujus  
89 muneris auctorem solitus depromere turbae.  
90 Heu furto vacuum tristis nunc execror arcam,  
91 talia sed miseris quis ademit pocula nobis ?  
92 Scilicet illa aliquis tulit insidiatus amico,  
93 fronte tegens fraudem, blandisque hostilia verbis  
94 proposita occultas. Neque enim haec nisi pocula notis  
95 dilectisque mihi promens, afferre solebam.  
96 Suspisor heu qui sit tanti mihi vulneris auctor,  
97 suspisor, aut potius certum scio, sed quid id ipsum  
98 scire juvat ? Nempe hic gaudens audace rapina  
99 fur Agelaeae tuus, nunc montes impiger altos,  
100 nunc fluvios superat custos alienus, et inter  
101 ostentat socios furti spolia ista superbi,  
102 simplicia irridens decepti pectora amici.  
103 Ast illi facinusque probant, patrataque laudant  
104 furta mali, artifices scelerum, fraudisque nefandae,  
105 turpe sodalicium, et tegere improba facta parati.  
106 Quae nunc o miserande sacrorum forma tuorum,  
107 solemnisque dapis species quae deinde futura est ?  
108 Nunc Agelaeae instant pro frugibus annua vota,  
109 nunc lustrandus ager. Profer Sosylea laetus  
110 munera, et instructis epulis hunc addito honorem.  
111 Me miserum, an damnis numquam ludibria desunt ?  
112 At quid fur scelerate tuis quid ego imprecer ausis ?  
113 Quoque fugam facinusque tuum omine prosequar absens ?  
114 Pabula terra tibi, potum tibi deneget amnis,  
115 atque venenatum spiret contagia caelum.  
116 Omnia sint inimica tuae et contraria vitae.  
117 Quodque agis, adicias sceleri scelus, atque nefandis  
118 flagitiis probra aucta aucescant, ausibus ausus.  
119 Te veniens primo sol spectet iniquus Eoo,  
120 Oceanique cadens sero aversetur in undas.  
121 Te fugiat casta luce aspexisse Diana.  
122 Adque tuos trepidant exterrita sidera vultus,  
123 omnis gens, aetas, natio, sexus, genus, ordo,  
124 mortales omnes odio tua furta sequantur.  
125 Cumque tuis pones pretiosis pocula mensis,  
126 implebisque mero nobis erepta, bibatur  
127 bilis amara tibi et mistum immedicabile virus.  
128 Cochleaque infusos arrepens ore liquores  
129 inficiat sanie foeda spurcaque saliva.

130 Sacriligosque sequens conturbet Nausea potus :  
 131 quodque bibes Cyclopeos vertatur in haustus.  
 132 Inprimis sceleris perdat te conscia tanti  
 133 horribili semper mens externata furore.  
 134 Te super et strictos enses vindicta coruscet ;  
 135 te super et quatiat stans ultio dira catenas ;  
 136 nil sit dulce tibi rerum, nil gaudia vera  
 137 afferat, et sensus contaminet omnia fraudum.  
 138 Tempora quaeque ferunt aliis nocturna quietem,  
 139 illa ferant tibi praecipuos violenta labores.  
 140 Tunc videare tibi timidus decurrere longum  
 141 incomitatus iter, fessos tremor occupet artus.  
 142 Frausque premat jugulum, guttur praefocet inhaerens  
 143 impietas : laqueum trepida cervice timentis  
 144 spectantique retro tibi desperatio nectat.  
 145 Undique perculso et trepido obstent carceris umbrae  
 146 horrentes, cava taetra, negentque evadere sonti.  
 147 Exoriare olim e nostris pastoribus unus,  
 148 qui fidenti animo et letum contemnentis,  
 149 prodita voce orbi clara, impia furta reposcat :  
 150 voce potente sceleste tuos obtundere fastus,  
 151 astutumque nefas decepto ostendere mundo.  
 152 Nam non haec tua fraus, non haec injuria sola est.  
 153 Quicquid erit, certe meritas dabis improbe poenas  
 154 telluris caelique odium. Cui jam Deus ipse  
 155 imminet infensus dignasque exasperat iras.  
 156 At mihi tecum inimicitiae et discordia semper,  
 157 justaque semper erit constanti corde simultas,  
 158 in freta dum current linquentia flumina fontes,  
 159 dum lasciva petet cytisum salicesque capella,  
 160 arida dum pluvio tellus laetabitur austro,  
 161 gaudebitque seges caelo matura sereno.

#### LYCIDAS. ECLOGA IV. LYCIDAS PALAEMON

LYCIDAS

E\_4 v.1 Cur non has salices atque haec arbusta Palaemon,  
 2 nostra, ut saepe, sacra respondent carmina luce ?  
 PALAEMON  
 3 Et facere et fecisse juvat. Sed ut ante solebat  
 4 excitet agrestem Lycida tua fistula Musam  
 5 hic ubi perspicuis rivus praeterfluit undis  
 6 crebra rigans viridis nasturtia margine ripae.  
 LYCIDAS  
 7 Sive ubi nos stratis gelidante sedilibus umbra  
 8 populus invitat, spatioso ubi mollia amaris  
 9 Appia graminibus Serpyllo intexta virescunt.  
 PALAEMON  
 10 Si tibi quis Lycida par est, est unus Iolla.  
 LYCIDAS  
 11 Quid si idem est cunctis par his in vallibus unus.

## PALAEMON

12 Incipe quando inter molles consedimus herbas,  
 13 inter et arguto stridentes ore cicadas,  
 14 incipe si quid habes : seu vinctum ob Moerida questus,  
 15 sive sui lamenta ob fratrem fratris Iollae.

## LYCIDAS

16 Immo in crudelem quae nuper scripta Gigantem  
 17 composui, et tenuis peraravi cortice fagi,  
 18 experiar, contra devotum scripta Tyrannum.

## PALAEMON

19 Sunt et in illius longae mihi facta querelae  
 20 impia, et in terris caput execrabile. Quin et  
 21 fabor enim Lycida, sunt nostro in carmine manes,  
 22 et pestes Erebi, et Dirarum nomina, et illae  
 23 horribiles cinctu serpentum et crine sorores.  
 24 Sed, nec enim festis fas sit memorare diebus  
 25 talia, in haec aliud servemus carmina tempus,  
 26 Moeridis et casus miseri lamentaque fratris  
 27 nunc deflere juvet, grata haec quoque credere Divis  
 28 esse futura libet pietatis munera nostrae.

## LYCIDAS

29 Et nos recta mones et dicis vera Palaemon  
 30 at vos, nam res est ope vestra digna, Camenae  
 31 dicite Sicelides fatum miserabile nostri  
 32 Moeridis, et gravis exemplum memorabile casus.  
 33 Te virtus te Moeri tua et mens conscia recti  
 34 perdidit, et saevis fortunae casibus egit.  
 35 Namque quid insontem terreret ? Nemo timere  
 36 consuevit sceleris nisi conscius. Ille superbus  
 37 securusque omni posita formidine silvis  
 38 dumque vagus miser in desertis saltibus errat,  
 39 et resonare suam montana cacumina Nympham,  
 40 et resonare docet viridantes gramine valles,  
 41 Nympham Naiades qua non formosior inter  
 42 Moenidas, et totis Francorum montibus, Aeglen :  
 43 dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
 44 Illa quoque haud segnes animo perceperat ignes,  
 45 atque hominum atque Deum prae illo spernebat amores.  
 46 Ah ! quoties frustra juvenes tua flectere corda  
 47 temptavere, tibi non possunt illa moveri  
 48 nec prece nec pretio. Solus tibi Moeridos ignis  
 49 mentem urit, Soloque tuo illius uritur igne.  
 50 Dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
 51 Quin etiam agrestes frustra tibi munera Fauni  
 52 et frustra admovere preces. Tu Moeride summum  
 53 non velles mutare Jovem. Te nollet et ille  
 54 Germanam uxoremque Jovis. Par flamma medullas  
 55 urit, et accensos animos utriusque pererrat.  
 56 Dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
 57 Unus at offensus contempto ex agmine Faunus,  
 58 quod sibi quodque aliis praeferret Moerida cunctis  
 59 Nais, acerbatis conceptat mentibus iras,  
 60 inque odium ingentem majus convertit amorem  
 61 dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
 62 Sed teneram nollet, si posset, laedere nympham,  
 63 inque odio occultatur amor. Tunc omnis in unum



64 ira odiumque cadit, tunc vindicta omnis in unum  
65 Moerida te, te Moerida enim traducitur, et te  
66 nil tale ille sua fretum virtute timentem  
67 excipit incautum Regnesi ad fluminis undam,  
68 cum jam nox densa tegetet caligine terras.  
69 Et misero nectit duris ex vincula loris.  
70 Dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
71 Tunc et harundinibus fractis quas ille gerebat,  
72 et quibus in propriam celebrarat Naiada cladem,  
73 et nudum, ad veteris constrinxit fragmina trunci,  
74 jucunda invidiae sociis spectacula Faunis  
75 dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
76 Illi etiam ingenuos lacerarunt sentibus artus,  
77 et generosa notis pinxerunt membra cruentis.  
78 Illi etiam in validis fustes fregere lacertis,  
79 verberibusque toros pressere immitibus altos.  
80 Atque ita mulcato misero et mala verba locuti  
81 discedunt, animo et spe vitae liquitur ille.  
82 Dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
83 Jam roseis provecta in equis aurora ferebat  
84 caelicolis lucem et miseris mortalibus almam,  
85 cum quas saepe suos petiisset Nais amores  
86 splendorem amplexura nivis superantibus ulnis,  
87 piscosi liquidas Regnessi venit ad undas.  
88 Dicite Sicelides quae Moerida fata tulere.  
89 Atque ibi crudeles perpessum in Moerida poenas  
90 incidit, inque loco vestigia territa fixit.  
91 Sed, quis enim ignorat sit tam miserabile passus  
92 supplicium, flexo Nympha discedere gressu  
93 coeperat, at calamos vidit laenamque jacentem  
94 Moeridos, ipsa intertexto quam neverat auro :  
95 tum vero obstupuit, complevitque aethera questu,  
96 purpureas lacrimisque genas madefecit obortis.  
97 Inque suum exanimem Moerin ruit, inque jacentem  
98 bracchia constringens circum lacera ilia jactat,  
99 osculaque exsanguis numero sine figit in ore.  
100 Dicite quae Moerin servarint fata Camenae.  
101 Ille anima excitus nymphae, aegre lumina caelo  
102 attollens tamquam ex letali emersa sopore.  
103 Occidimus miseri, inquit, et haec vix pauca locutus  
104 demisit vultus, oculosque recondidit intra  
105 palpebras, iterum attollens iterumque remittens.  
106 Illa sed irrorans lacrimas et savia labris  
107 invergens roseis : "Non occidimus tamen", inquit,  
108 "funditus : in te aliquid si vitae Moeri relictum est.  
109 Perfer et obdura, multi multa ante tulere  
110 immerito saevae fortes opprobria sortis.  
111 Tempus erit quo respiciet Deus haec quoque vindex.  
112 Omnia non fallente Deus qui lumine cernit.  
113 Vive mihi si non tibi vis, me perdere Moeri  
114 si te non servare cupis, me perdere noli.  
115 Hic etiam poterit vivo tibi casus honori,  
116 hic etiam poterit casus vivo esse saluti.  
117 Omnis si occideris tecum spes occidet una.  
118 Vive o Moeri, mihi vita dilectior ipsa.  
119 Dicite quae Moerin servarint fata Camenae.

120 Huic oculos alte attollens flenti : O mihi quam nunc  
 121 Nympha viam ad mortem conturbas inquit apertam  
 122 quotque tua invisam cupienti abrumpere servas  
 123 ad mala et aerumnas lucem prece ? Jam mihi silvae,  
 124 jam valles collesque valet in montibus altis,  
 125 fluminaque et vitrei fontes, et florida prata.  
 126 Non ego vos posthac complebo carmine, nec me  
 127 audiet hic viridi stratum sub fronde capella,  
 128 non ovis herbifero quaerens sua pabula campo.  
 129 Hic jaceant fracti calami, mea maxima quondam  
 130 cura, nec ulterius resonent mea carmina silvae.  
 131 Ipse miser nostras deinceps intra abditus aedes,  
 132 quicquid erit vitae tenebrosis exsequar umbris.  
 133 Tuque vale, o quae nunc odiosae ad munera vitae,  
 134 et me nympha vocas ingratae lucis ad usum.  
 135 Quam vitabo tamen tectus caligine lucem,  
 136 atque tibi me non mihi conservabo petenti.  
 137 Dicite quae Moerin servarint fata Camenae.  
 138 Sed quis, Nympha refert, scit quam mox afferat illam  
 139 in roseis aurora diem praefulgida bigis,  
 140 quo ferat istius casus tibi fama salutem,  
 141 famaquo quo casus te istius honoribus ornet.  
 142 Tunc et ages servatrici grates mihi. Tunc et  
 143 Moeri voles vixisse, et tunc meminisse juvabit  
 144 adversorum, et sumere ab his praecepta jubebis  
 145 degendae natos vitae carosque nepotes :  
 146 ne velit esse sua quisquam virtute superbus,  
 147 cuncta timens, paucis credens, nihil esse fidele,  
 148 nil firmum certumque putans, alta omnia vitans.  
 149 Quam, si non fallunt miserae praesagia nymphae,  
 150 affore laetificam parvo post tempore lucem  
 151 auguror, hoc de ipso vivamus tempore uterque.  
 152 O mea quam laeta fagus tunc fronde virescet,  
 153 et multam hiberno disperget pulvere glandem.

## PALAEMON

154 Dignum lacte tuum, et dignum mel lingere guttur,  
 155 et gluttire offae bovis oblita fragmina pingui :  
 156 quod tam dulce melos, quod tam bona carmina fudit.  
 157 Si tamen et nostris fas est stridoribus inter  
 158 divini esse locum cantus numerosque poetae :  
 159 dicite Thespiades fraterni carmina luctus,  
 160 quo miserum frater fratrem deflevit Iolla.  
 161 Illum et sol veniens maerentem audivit, et undas  
 162 Oceani serus repetens, audistis et ipsa  
 163 plurima quae tacita fulgetis sidera nocte,  
 164 aedibus abstrusum mediis, neque enim ante venire  
 165 sustinet ora hominum, nec sese ostendere luci.  
 166 Parietibus tantum ac densa caligine tectus,  
 167 et tristi prostratus humi miserandus in umbra,  
 168 aut inter pecoris corpus stramenta volutans,  
 169 immundo aut jactans exsanguia pulvere membra :  
 170 haec lacrimabilibus queritur concentibus, ipsae  
 171 contristantur oves, stabula et sentire videntur.  
 172 Quid me nunc, nam de te actum est, carissime frater,  
 173 quid fiet ? Vita frater mihi carior ipsa.  
 174 Tecum omnis mea spes cecidit. Tu perditus et me

175 in letum exiliumque rapis. O si mihi plagas  
176 excipere, et durae pro te ludibria sortis,  
177 te florente ac incolumi Germane, liceret,  
178 posteritati ego quae pietatis signa dedissem,  
179 ipse mihi et quantam peperissem hoc nomine famam ?  
180 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
181 Nec tamen accusare alios miserabilis ausim  
182 exitii Germane tui. Quamquam tua virtus  
183 atque expers animus sceleris, mens conscia recti  
184 te juvere parum. Simplex, bonus, integer, insons,  
185 quippe jaces, cum tot vivant valeantque scelesti.  
186 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
187 Heu mihi quid tantum frustra laudatur honestum,  
188 omnia callida vis aufert bona. Quis bonus unquam  
189 non praedae fuit astutis. Quem non violenta  
190 dextra bonum oppressit. Sic te quoque quod male cautus  
191 frater eras, vis atque dolus circumvenit, inque  
192 perniciem, nos in luctus detrudit acerbos.  
193 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
194 Nunc mihi nec silvae nec prata virentia, nunc nec  
195 arva placent, non pinguis ager, non vallibus imis  
196 molliter in viridi decurrens gramine rivus.  
197 Omnia sunt invisata loca, in quibus ante solebam  
198 et curis laxare animum et renovare quiete,  
199 namque tui luctu nos et formidine casus  
200 afficiunt terrentque. Et quae Germane tulisti  
201 ante solent oculos haec tamquam ponere nostros.  
202 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
203 Quis nunc Regnessi ripas et amoena fluentia,  
204 arbore quis colles et pulchra fronde refertas  
205 carmine complebit ? Quis vocem emittere post te  
206 audebit ? Cujus fundet jam fistula cantus ?  
207 Sed post divinos vates etiam ante fuere,  
208 auderent miseram cantu qui frangere pacem,  
209 nec nemus atque agri taciti Corydone fuistis  
210 extincto, et cecinit post fata aliquis Meliboei,  
211 Daphnide nec pastor defuncto obmutuit omnis.  
212 Nunc et erunt, qui te stridant Germane silente.  
213 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
214 Scilicet invidia premimur. Namque optima nullo  
215 certa aut sunt diuturna statu. Sed pessima semper  
216 inconcussa vigent. At virtus cassa frequente  
217 cultu, et quod spretum vulgo ridetur honestum,  
218 quanto rara magis res, tanto impensius aequum  
219 consulere huic omnes fuerat. Nunc praemia nullae  
220 fert bonitas. Virtus jacet, exagitatur honestas.  
221 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
222 Ac te non modo non faciles Germane tuumque  
223 protexere caput divi, aut tenere cadentem,  
224 sed quaedam injecere suas etiam tibi dextras  
225 quae dici in terris et haberi numina vellent.  
226 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
227 Sic et Achilleam caedem confecit Apollo,  
228 adjuvitque manum Iliadae pastoris, ut aiunt.  
229 Ipsa per infestum pelagus fluctusque sonantes  
230 dispersit Graium et demersit in aequore classem,

231 inque duces ignem est Pallas jaculata paternum.  
 232 Invidia ergo illos animos exercet et ira  
 233 divinasque dolor mentes odiumque fatigat.  
 234 Dicite Thespiades fraterni carmina luctus.  
 235 Sed quid ago ? Aut quorsum vanas contexo querelas ?  
 236 Nec caeli aspiciunt nec terrae hunc numina casum.  
 237 Aut si forte vident, quid nos juvat : immo etiam ipsum  
 238 et juvat ah demens, et deinde juvabit Iolla.  
 239 Virtutem est pulchrum immeritam fecisse ruinam,  
 240 Teque aerumnosum non inventum esse nocentem.  
 241 Semper erit, fuit et semper Deus, unde bonorum  
 242 penderet spes, auxilium, protectio, cura.  
 243 Ille diu interdum scelus et mala passus inulta,  
 244 oppressosque bonos, tandem respexit utrosque :  
 245 et dedit ambobus mercedem ac praemia digna.  
 246 Hoc quoque, cuncta Deus qui vindice lumine cernit,  
 247 ille Deus, nec vana fides, oculis animoque  
 248 infandum facinus nonnumquam advertet Iolla.  
 249 Talibus ille modis luctum solatus acerbum  
 250 lenivit cura hac impersanabile vulnus,  
 251 intolerabilibusque malis medicamina fecit.  
 252 Dum tempusque et longa dies consueta doceret  
 253 aegre ferre minus sortis mala. Sed quoque vos jam  
 254 claudite Thespiades fraterni carmina luctus.

LYCIDAS

255 Et nos montivagis tantum crescentibus umbris,  
 256 ac fumante omnis vicinae culmine villae,  
 257 ad tuguri nostri redeamus tecta Palaemon.

PALAEMON

258 Aspice rorifera ut Lycida nebula incubat arvis,  
 259 et tegitur gelida jamdudum rivulus aura,  
 260 Vesper adest noctem claram, et fortasse serenam  
 261 qui lucem vehat : hoc spondet tacitum nemus, et quae  
 262 aeriam supra en tollit sese ardea nubem.  
 263 Quod tempus tria signa probant dubium esse negatur."

## MARILE. ECLOGA V.

E\_5

v.1 Forte per illustrem dum scindit vomere noctem  
 2 pingues Illus agros, septenae Pleiados astrum  
 3 obscurante sua plena prope luce Diana :  
 4 propter equos Marile ingrediens deducit habena  
 5 ut rectos teneant sulcos deliria vitent.  
 6 Ipse opus urgentem vocem inter talia fundit  
 7 carmina, respondent vicinae carmina silvae,  
 8 et juga fraxineis hastilibus obsita montis.  
 9 Vos quoque Sicelides, non solum Crathidos undae,  
 10 non tenuit Sybaris, non Himera, sed freta quondam  
 11 proxima tranastis, Latii que per arva vagatae  
 12 Minciades nostras inter celebrare choreas,  
 13 et placuit socias adhibere in carmina nymphas.  
 14 Pergite Io si statis equi non pergit aratrum.

15 O quam felici fuit ortus sidere Pastor  
 16 ille Syracusiis ad quem venistis ab agris.  
 17 Fortunata senex ergo tua fama manebit,  
 18 flumina dum fontes linquent, dum frondibus arbor  
 19 vere novo teneris gaudebit, floribus horti,  
 20 laneolae gravido turgentes palmite gemmae.  
 21 Et tua nunc impressa humili vestigia terrae  
 22 posteritas studio magno sectatur, et illis  
 23 insistens Sicula pangit duce carmina Musa.  
 24 Te vero aetherea veneratur sede locatum,  
 25 et festas agitat luces, Idusque frequentat,  
 26 Idus quae magnum octobres genuere Maronem.  
 27 Pergite Io si statis equi non pergite aratrum.  
 28 Inde etiam aerias trans Alpes praepete vectae  
 29 penna, Germanas sero venistis in oras.  
 30 Hic primum et lutei ripas coluistis Hiere,  
 31 Pegnessique leves tenuistis fluminis undas.  
 32 Et nunc Regnessum circa et vicina fluenta  
 33 ludere digressas vestro paulisper ab Hesso,  
 34 non piget, et cari pastoris visere amicos,  
 35 Lyncidem, Micam, Thaumantem, Moerin, Iollam,  
 36 et rasum, neque enim Musae contemnit, illum.  
 37 Hic insueta oculis vidistis plura Latinis,  
 38 atque oculis illic visa essent ante Pelasgis.  
 39 Nec vos offendit cultu tam paupere tellus,  
 40 nec fructus herbaeque aliae. Non laurea Phoebos  
 41 nulla quod in nostra fieret regione corona,  
 42 non quod Cecropiae nusquam esset ramus olivae.  
 43 Non quod equus glaebas inter sudaret, aratra  
 44 pectore nexa jugis ducens, non et tamen armis  
 45 numquam equitem gestans, quem jam dux flectit habenis  
 46 docta meis Marile jussis parere vocata.  
 47 Pergite Io si statis equi non pergite aratrum.  
 48 Quae tamen o nostris quae te res abstulit arvis,  
 49 quaeve tibi suasit nobis adversa voluptas,  
 50 Hesse, olim deserta redire in rura colonum,  
 51 qua fluitans alvei caeno foedatur Hieras ?  
 52 Pergite Io si statis equi non pergite aratrum.  
 53 Nunc et harundinibus spretis Pegnesides, alta  
 54 per valles maestae silvasque silentia servant,  
 55 aut fluvio latitant mersae. Non Panes, ut ante,  
 56 Noride valle tui quaerunt solacia cantus.  
 57 Fons quoque dilectus tantum tibi squallet, et undis  
 58 tristitiam prae se turbatis ferre videtur.  
 59 At campis miserae pecudes arentibus errant,  
 60 pascua nec sicco carpunt immunda palato,  
 61 abstinet esuriens pallente a fronde capella,  
 62 nam neque prata virent, neque frondes arbore gaudent.  
 63 Jam neque caelesti tinguntur gramina rore,  
 64 sed desiderio luctuque tui omnia marcent.  
 65 Pergite Io si statis equi non pergite aratrum.  
 66 Nunc illae arrectis tacitae longe auribus astant,  
 67 si qua ferat sonitum divini carminis aura,  
 68 si quos fundat, ut ante, novos tua fistula cantus.  
 69 Atque ita dum totis inhiat productus inani  
 70 spe cantus, divine tui vocisque Poeta,

71 solibus, ingratis pasci grex immemor herbis,  
 72 seu foliis vento strepitum audivere citatis,  
 73 sive aliquis temere, per sibilus aera venit,  
 74 nocte domum vacuos ventres uberque reportant.  
 75 Tunc frustra et pressu digitorum Thestylis illis  
 76 molitur niveos lactis deducere rivos,  
 77 nec quicquam et quaerunt sitientes sugere fetus.  
 78 Pergite Io si statis equi non pergit aratrum.  
 79 Fertile nunc nostrum ante solum, sterilescere primum  
 80 incipit, et messis respondet nulla labori.  
 81 Non armenta nitent pinguedine, non magis edunt  
 82 fetum auctum numero pecudes, quaeque ante tulere  
 83 bina omnes, vix nunc eniti singula possunt.  
 84 Pergite Io si statis equi non pergit aratrum.  
 85 Me quoque, me quoque amor Marile tenet, omnibus illa  
 86 in quaecumque loca Hesus habet migrare relictis.  
 87 Atque una pecudes viridi compellere campo,  
 88 atque una liquidas impellere fontis in undas.  
 89 Illius interea dulces mihi fistula cantus,  
 90 dulce melos diviniloquo vox fundet ab ore.  
 91 At nos nunc omni perarato rure sub ipsam  
 92 Auroram et Solis radiis ac luce propinqua,  
 93 hoc in aratrum ab equis sistamus fine solutum.  
 94 Tu Marile e stabulis immitte in pascua vaccas,  
 95 nos ubi equos prato pastum religarimus illo,  
 96 demessa hesterno frumenta legemus ab agro.  
 97 Ite hac ponite equi fessi juga, sistite aratrum.

CARPOLIMAEUS. ECLOGA VI. PALICUS ET CARPOLIMAEUS.

E\_6A v.1 Haec quoque Sicelides peregrinas visere sedes  
 2 dignatae, et mecum Francos conscendere montes,  
 3 et paucas viridi pecudes compellere prato,  
 4 Moenus ubi nomen Regnessi involvit et undas,  
 5 atque auctus tanto vehemens jam flumine, subter  
 6 vitiferos collesque per arvaque pingua fertur :  
 7 haec etiam alterna pastorum carmina voce  
 8 dicite, decantata Palico et Carpolimaeo.  
 9 Tu quoque, qui mihi cum tempus puerilibus annis  
 10 suaviter ingressum jucundos praebuit usus  
 11 posterioris amicitiae aetatisque sequentis,  
 12 huc ades et nostra, Stibare, inter harundine cantus  
 13 expressos molli corpus prostratus in umbra  
 14 in tenero requiesce gelu. Sed et ipse labellum,  
 15 nec tibi sit pudor, agresti quondam imbue Musa,  
 16 nec pigeat cannas mecum trivisse palustres,  
 17 postque habeas parvis tua magna negotia rebus.  
 18 Quid parvas sed ego voco res ? Haec regibus ante  
 19 cura fuit magnis. Pecora inter et ipsa Dearum  
 20 conubia invenere. Quid an non pastor Apollo  
 21 Pheraeas pavit pecudes, et gramine laetis

22 Haemonia in campis custos armenta coegit ?  
 23 Perge mihi auditos jam pridem, Siceli, cantus  
 24 subicere, et numeros pastorum ac dicere verba,  
 25 non prius auditos numeros in vallibus istis,  
 26 auribus atque aevi verba inconsueta prioris.  
 27 Tempus erat vitreis cum ros in gramine guttis,  
 28 et pecora aura levi cum flamine grata jacebat,  
 29 expediente novam Tithoni conjuge lucem,  
 30 Carpolimaeus oves cum matutinus agebat  
 31 in prope subjecti de montibus aequora campi,  
 32 in camposque armenta Palicus agebat eosdem  
 33 jamque ubi congressi nota in regione locorum  
 34 blanda salutanti junxerunt verba loquela,  
 35 tunc stirpi innisus sic Carpolimaeus acernae,  
 36 cur non solis, ait, venientia lumina nostra  
 37 voce salutamus Musamque Palice ciemus  
 38 ignotam hac in valle prius silvisque Latinam ?  
 39 Incipe quicquid habes. Neque enim tibi carmina deesse  
 40 nec possunt undae Moeno, non calculus undis.  
 41 Nos te, tuque iterum nos deinde sequere Palice,  
 42 sic melius pascentur oves armentaque latis  
 43 grata magis carpent errando pabula campis.  
 44 Dixerat. At baculo incumbens sic ille colurno  
 45 incipit, aeriis pendens in rupibus Echo  
 46 carminis ingeminat fines silvisque remandat.

## PALICUS

E\_6B v.1 Floret ager, rident herbae nemus omne virescit,  
 2 caelifluo prati gramina rore madent.  
 3 Pabula laeta boves neu parcite carpere Tauri,  
 4 omnia fert iterum quae tulit ante dies.

## CARPOLIMAEUS

5 Quin tondetis oves, fatuum pecus, aequora campi,  
 6 nocte domum ut redeant ubera plena meam.  
 7 Ne cessate. Nihil super his in vallibus herbae  
 8 postquam erit, est alio copia parta loco.

## PALICUS

9 Sit medio umbra die, et mecum mea Phyllis, et herbas  
 10 vacca sub argutis ruminet ilicibus.  
 11 Florida vox resonet vicina a fronde cicadae,  
 12 et studeat miserae dives avaritiae.

## CARPOLIMAEUS

13 Ipse caput jaceam subnixus caespite, et una  
 14 molle pecus plexo crure quiescat humi.  
 15 Fistula frustratos mea spem soletur amores,  
 16 urbani studio sollicitentur opum.

## PALICUS

17 Admiratur amatque meam mea Phyllis avenam,  
 18 nostra tua potior fistula Phoebe lyra est.  
 19 Hic nostri in tenero libro sculpentur amores,  
 20 quos legat in grandi cortice posteritas.

## CARPOLIMAEUS

21 Me Marile neque amat, neque gaudet carmine nostro,  
 22 uror nunc etiam cujus ab igne miser.  
 23 Hoc leget in veteri gradiens hac stirpe viator,

24 notaque erit Mariles omnibus improbitas.  
PALICUS

25 Non me armenta sequi, neque me servire puellae,  
26 otia me ignavum nec coluisse pudet.  
27 Mors quoque prudentem rapit et mors impia fortem,  
28 femina Dis etiam grata pecusque fuit.  
CARPOLIMAEUS

29 Ipse infelici tabesco functus amore,  
30 atque inhio ereptae nunc etiam Marilae.  
31 Ergo delectat me solum nunc pecus, abs quo  
32 sit gravis et regum vita futura mihi.  
PALICUS

33 Argeme te somnus domat Argeme somnus inertem,  
34 nec tibi cura mei nec tibi cura boum.  
35 Sed nullae insidiae hic, nunc tuto armenta vagantur,  
36 ne tibi concessa parce quiete frui.  
CARPOLIMAEUS

37 Ne tibi, ne sopor ignavo surrepat Hylactor,  
38 quid dederit turbae scis Lupus ante, puto.  
39 Cum damni procul atque mali timor omnis abesset,  
40 si libet omnino credere, crede parum.  
PALICUS

41 Aspera sunt patriae nostrae loca. Quam brevis aestas  
42 quam tarde abscedit, quam cito venit hiems ?  
43 At Latiis contra narrant pastoribus esse  
44 aestates longas, esse breves hiemes.  
CARPOLIMAEUS

45 Aspera sunt patriae mihi grata meae loca, quamvis  
46 omnia in Ausonio sint meliora solo.  
47 Audio enim quemdam vitam sprevisse Deorum,  
48 prae patriae experti fertilitatis agro.  
PALICUS

49 Haec Corulus furcae fabricandae erit apta bicorni,  
50 haec sed erit Corulo fraxinus apta magis.  
51 Dentibus armabo nunc ad fenilia rastros,  
52 arida tracturae gramina Phylli tibi.  
CARPOLIMAEUS

53 Ad frumenta dabit palam haec mihi fagus, et illa  
54 fumo dura mihi tilia buris erit.  
55 Tum nostro Hampelio fustes cedentur ab orno,  
56 area pulsa quibus messe referta gemat.

E\_6C

v.1 Haec illi imparibus numeris alterna canebant,  
2 aureus aestifero cum sol sublimis in axe  
3 rorem avido lambens herbas siccaverat ore,  
4 claudere cum sic te coepisse Palice Camenam  
5 agrestem memini, numerosque et verba notavi.  
6 Hirce gregis ductor quid respicis improbe, quidve  
7 cervice obliqua et transversis cornibus astas ?  
8 Ecce caput procera etiam fricat arduus alno,  
9 erigit inque pedes se nunc umbraeque minatur  
10 ipse suae insultans, miscereque proelia gestit.  
11 Quin et inerme vides nuda concurrere fronte  
12 inter se pecus, et venientem a vertice plagam  
13 excipere objectu. Quae vos tamen ira fatigat,



14 quive domat placidos animos furor ? Hoc mihi certe  
 15 non temere, quicquid tamen hoc est, esse videtur.  
 16 Sive dies alios tempestas fingere caelo,  
 17 atque serenificum parat infuscare retusa  
 18 luce diem, et gelidos demittere nubibus imbres :  
 19 seu magis armorum sunt haec portenta, malique  
 20 mentibus in mollis pecoris praesagia belli.  
 21 Tum miseros o ter nos, Carpolimaeae, quaterque,  
 22 in quos vel solos vel maxima damna redundant.  
 23 Tunc neque feturam nobis, nec flumina praebet  
 24 lactea grex, sed praeda agitur, qui plus valet, hosti  
 25 at nos infelices servi abducimur una,  
 26 aut caesi nostrisque bonis vitaque caremus.  
 27 Conflagrant stabula igne, illataque horrea messe.  
 28 Sed non Saturno quondam regnante, timebant  
 29 pastores gladios aut ferrea tela, satisque  
 30 stipite contra dextra feras armata valebat,  
 31 aut nodoso etiam raptio ex animalibus osse  
 32 armorum inventus deinde omnia sustulit usus  
 33 commoda securae pacis placidaeque quietis.  
 34 Dixerat, at tu sic es Carpolimaeae secutus.

CARPOLIMAEUS

35 Quid curis frustra laceramus corda, Palice.  
 36 Quicquid id est, quod fata ferunt, nos ferre necesse est  
 37 nec tamen ante suum veniunt mala, nec bona, tempus,  
 38 quae non maturat spes, non formido moratur.  
 39 Hoc melius : Quae laeta Deus dat munera vitae,  
 40 grata mente frui, non tristia ferre moleste,  
 41 non eadem ante metu capere. Hoc, vide, ut illa juvencos  
 42 cura meos nihil attingit, quem ducat opimum  
 43 et mactet lanii disperso dextra cerebro.  
 44 Nunc virides carpunt herbas, nunc caespite subter  
 45 arboreas molli frondes strati, ante comesa  
 46 pabula, quae faciant robur carnesque, remandunt.  
 47 At vitulus flores lascivus turbat amoenos  
 48 calcibus insultans levibus, nec crastina curat.  
 49 Sed deerrans meus ille procul depascit iniquo  
 50 arbustum Rufus laurentis dente tenellum.  
 51 Arma manu mihi sunt capienda pedumque scrobesque,  
 52 dulcia quam magis et magis apta, Palice, gerenti  
 53 quam quae luctifici memorabas ferrea belli.  
 54 Haec memini. Et scrobe percussum mugisse juvencum,  
 55 hacque modos tenus alternos ivisse Camenae  
 56 Sicelidos, lateque juga insonuisse per orae  
 57 Francidos, et viridis nemoroso in margine ripae.  
 58 Teutonicae silvis mirantur Oreades altis,  
 59 miranturque leves muscosa valle Napaeae.  
 60 Caeruleis pater ipse alte caput extulit undis  
 61 Moenus, et insolitam cupidis vocem auribus hausit,  
 62 pastorum gaudens studio famaue suorum.

## MELIBOEUS. ECLOGA VII. MELIBOEUS, CLAUSUS ET PERILAS.

E\_7 v.1 Nuper in abiegna dum forte sub arbore silva,  
 2 fessus humi lignis paulum requiesco secandis,  
 3 jam placido levior veniebat anhelitus ore,  
 4 et sudorifluos vultus siccaverat aura :  
 5 cum procul e silvae subjectis vallibus imae,  
 6 propter aquae vitreum qua se viridantia rivum  
 7 ostendunt prata, et longo tractu inter apertos  
 8 procedunt colles, vacuas vox perculit aures  
 9 incerti sonitus, ipse erigor, et caput alte  
 10 attollo contra mihi qua visa illa venire,  
 11 agnoscoque hominis clamorem et jurgia noti  
 12 pastoris Perilae. Sed enim quid diceret ille,  
 13 nec potui quicum litem cognoscere, haberet.  
 14 Quid facerem ? Neque quo factos mea Barbila panes  
 15 torreret lignatus erat, meque illa juvabat  
 16 jurgia, si possem, et motas componere lites,  
 17 dum quid agam quaero, grandescit clamor, et inter  
 18 incipit arboreas resonans crebrescere frondes.  
 19 Posthabui panes et ligna, eque arbore rapta  
 20 protinus ex alto decurro monte, bipenni.  
 21 Ventum erat ad silvae dumeta extrema, ibi ego illum  
 22 pastorem, et Francum vidi contendere Clausum,  
 23 et varia iratis intendere jurgia verbis.  
 24 Substiti, ut illorum propius certamina possem  
 25 perspicere et belli causas intelligere omnes.  
 26 Tum sic Clausus : An hoc ne potes scelerate negare ?  
 27 Moeridis hanc clavam gestare. Hanc ille requirens,  
 28 nuper enim dixit, Perilas hanc abstulit ipse.  
 29 Cui Perilas : Torvo, quid ais vultu, nebulo, inquit,  
 30 "aut haec in quo laena foro tibi, Clause parata est ?  
 31 Quam si forte meus te indutum cernat Amyntas,  
 32 Te vetet ulterius furacem extendere dextram.  
 33 "Quis tuus hanc, Clausus, quis enim tuus, inquit, Amyntas  
 34 gestarat, quam me furatum ais improbe laenam ?  
 35 Nempe mihi cujus periit mea fistula fraude,  
 36 quam mea fluminea compegit harundine nuper,  
 37 deque opere illo etiam manus hoc habet, aspice, vulnus.  
 38 "An tibi, ait, calamus, Perilas, aut fistula cera  
 39 juncta fuit ? Meque aspiciens propiora ferentem  
 40 ex carecto imae denso vestigia silvae,  
 41 opportune inquit, nostin Meliboeae magistrum  
 42 carminis hunc, miseram qui nuper coepit avenas  
 43 mordere, huic calamos meus est furatus Amyntas.  
 44 Nosse potes me, Clausus ait, Meliboeae. Quid autem  
 45 est verbis opus. Haec ego pressi pignora lactis  
 46 depono, quantum Gerile mea condidit uno  
 47 mense, quater binae mulgens plena ubera vaccae,  
 48 iste honor, hoc a me pretium est non vile futurum  
 49 carminis, hic, neque enim detrecto, judicet hospes.  
 50 Tu dic quae tribuas victori praemia victus.  
 51 Pallada quondam etiam in certamen porca vocasse  
 52 dicitur, ille inquit. Quin tu modo, quin modo iudex  
 53 esse velis Meliboeae. Sed esse voles Meliboeae.

54 Hoc ego quantum uno ter denis lactis et ipsa  
 55 confecit de ovibus mense Ursula pingue renidens  
 56 infra aequae ac supra, non vilia pignora pono.  
 57 Quin igitur viridis recubantes gramine clivi  
 58 hos subter corulos alternis dicitis, inquam.  
 59 Namque meo juvat ante operi res ponere vestras.  
 60 Tuque prior qui ausus certamina poscere, Clause,  
 61 incipe, te Perilas alterna voce sequetur.  
 CLAUSUS  
 62 Pan Tegeae nostras venit de montibus oras,  
 63 Pan nostras et servat oves et carmina curat.  
 PERILAS  
 64 At mea Teutonidas delectat fistula nymphas,  
 65 his armenta mihi tuto custodibus errant.  
 CLAUSUS  
 66 Dicite fonticolae silvestria numina Nymphae,  
 67 praebuit hac quando se Pan regione videndum.  
 PERILAS  
 68 Teutonides mea cura deae : o qualia vestra  
 69 consuetudo tulit mihi gaudia, qualia spondet ?  
 CLAUSUS  
 70 Quid volucres querulum quercu garritis ab alta,  
 71 mecum an ob Eunicae fastidia saeva doletis ?  
 PERILAS  
 72 At vos nec querulum nec triste sonatis ab orno  
 73 luscinae. An Mariles mecum gaudetis amore ?  
 CLAUSUS  
 74 Naiada noster amat Lyncides. Nais at illum  
 75 contemnit. Fatum Lyncidem Daphnidis urget  
 PERILAS  
 76 Nympha placet Dorylo, nec Nymphae displicet ille  
 77 Cypria natum oculis hunc vidit Diva benignis.  
 CLAUSUS  
 78 Dulce ovibus Pan dulce melos pascentibus ede,  
 79 caesus et ante tuam procumbet vir gregis aram.  
 PERILAS  
 80 Prata rigant nostris Nymphae sitientia bobus,  
 81 his vitula in pingui grata hostia pascitur Ervo.  
 CLAUSUS  
 82 Remus, harundo, rudens, Pelagon, monumenta laborum  
 83 a nobis structo tibi sunt affixa sepulchro.  
 PERILAS  
 84 Viscum et habent laqueos et pinnae busta Calindri.  
 85 A me, nam studio sibi victum hoc ille parabat.  
 CLAUSUS  
 86 Infortunatum me, cui neque dat, neque quicquam  
 87 accipit Alcippe, et me quaerit amare videri.  
 PERILAS  
 88 Dissimulat nostrum et celat bene Phyllis amorem,  
 89 omnia quae facilis dat, pauca sueta rogare.  
 CLAUSUS  
 90 Quid lacrimis luctuque miser consumere Clause ?  
 91 Non est tristitiae soli tibi causa cupido.  
 PERILAS  
 92 Turba parum miseros juvat. In paucis potius sim  
 93 felix materia in multa magis eminet ignis.

## CLAUSUS

94 Ut formosa mea est Gerile, sic esse videtur  
95 omnibus, hoc aetas sapiens nostra est nimis uno.

## PERILAS

96 Cum video Marilem video omnia. Si videam autem  
97 omnia nec videam hanc, videar nihil usque videre.

## CLAUSUS

98 Cunctale direptae saepis fragmenta repone,  
99 ne vastent segetem jumenta immissa tenellam.

## PERILAS

100 Depopulantur aves nostri pomaria Leni,  
101 Lene sono specieque nova terrere memento.

## CLAUSUS

102 Cur fugio demens me tela petentis Amoris ?  
103 Nequiquam pedibus terram qui calco volucrem ?

## PERILAS

104 Te neque ego fugio puer optime, te neque vito,  
105 nec sine te in terris placeat mihi Regia vita.

## CLAUSUS

106 Triste gelu tenerae viti, cultis aper arvis,  
107 contemptus nobis durae et ludibria Balbae.

## PERILAS

108 Dulce aestate nivis potus, placidum mare nautis,  
109 Bautidos accubitus nobis blandique susurri.

## CLAUSUS

110 Haec rosa quae foliis haeret de vepre caducis,  
111 exemplum dubii est miseris mortalibus aevi.

## PERILAS

112 Hi flores Zephyroque levi vernantia prata,  
113 nos brevis hortantur decerpere commoda vitae.

## CLAUSUS

114 Dic mihi montium ubi juga sint altissima, meque  
115 a te iudicio proprio victum esse fatebor.

## PERILAS

116 Dic quid non visum tollis, visumque relinquis,  
117 arbitrioque tibi cedit victoria nostro.

## MELIBOEUS

118 Hic ego, nam rixas tandem finire placebat,  
119 et panes dudum ac me ligna relictia vocabant :  
120 hac certasse tenus liceat. Nunc pergite in urbem  
121 pergite placatis concordēs mentibus, inquam :  
122 quisque sua et gravis aere domum de merce redito.  
123 Neuter enim fama, aut mihi re spoliatus abibit.  
124 Quod superest Sicalas pueri celebrate Camenas,  
125 et studio in nostros parili deducite campos.  
126 Illae hedera intexent vobis florentia sarta,  
127 pro lauru patulam et nectent Phoebuide quercum  
128 ite hac. Me mea ligna vocant, panesque parati.

## RUSTICUS. ECLOGA VIII.

E\_8 v.1 Surgite Io pueri, prope lux est alma diei,  
 2 ipse polo sparsos nam cogit Lucifer ignes,  
 3 Deque canit nigra Solis trabe nuntius ales,  
 4 et tenebras plausis cedentes dissipat alis.  
 5 Surgite io pueri, medio Tithonis ab ortu  
 6 exit, et aurato de montibus ore renidet,  
 7 dudum et equi vacuis quaerunt praesepebus escam,  
 8 et siccas furcis scrutantur inanibus herbas.  
 9 Surgite io pueri, toto jam lucet in orbe.  
 10 Jam seges in multis debebat stare manipulis,  
 11 quam vetuere legi tam nimbi huc usque frequentes,  
 12 debebatque solum montanum scindere vomer,  
 13 ac potius factis aliquot splendescere sulcis.  
 14 Noctem operam somno totam dare turpe colono.  
 15 At tu nondum etiam, prima omnibus Acca choreis,  
 16 Tuque etiam nondum desiisti stertere Balba ?  
 17 Surgite, et ignava calidas nate linquite plumas,  
 18 crocitu vos cortis avis plausuque frequente  
 19 jam vocat, et fetae mugitu pabula vaccae,  
 20 pabula deprecant jam matutina iuveni.  
 21 Vix etiam nunc corpus iners et membra grabatis  
 22 pigra levaritis, cornu procedere pastum  
 23 in campos quando custos armenta ciebit,  
 24 nec dum lac pleno gravis excipit ubere mulctra ?  
 25 Nunc ad opus famulis missis, ad te mea paulum  
 26 Phylli reclinabor, quod dat mihi cura licere  
 27 Imperiumque domus, tibi dant communia mecum  
 28 omnia, nos ex quo hic accepit lectulus, et me  
 29 corporis esse tui fecit, mea Phylli, potentem,  
 30 teque mei fecit cum corporis esse potentem.  
 31 Cum teneram plenamque metu juvenilibus annis  
 32 et vidi, et prae aliis mihi delegi omnibus unam,  
 33 aque tuis nostras duxi tutoribus aedes.  
 34 Nam pater ante suo fato defunctus Aletes,  
 35 mater eratque suo defuncta Rutillia fato.  
 36 Meque parens etiam Pacetus morte propinqua  
 37 et genetrix dudum jam mortua liquerat orbem,  
 38 ipsa sui splendor genetrix Martillia sexus.  
 39 Tunc mihi virginitas tua delibata, tibi que  
 40 contactus tepor et primum bona nota virilis  
 41 conjungere sibi nostras cum corpore mentes.  
 42 Quae nunc post annos etiam tot copula durat.  
 43 Namque haec, post octo ter septima ducitur aestas,  
 44 ad nostram cum taeda casam praelata jugalis  
 45 hoc stetit, et faustis effulsit limine flammis.  
 46 Phyllis et in thalamum deducta est conjugis Illi.  
 47 Interea quam multa, putas, potuere mihi te  
 48 invisam, et tibi me facere actae taedia vitae ?  
 49 Ni mens aequa suae fortunae temperet usum.  
 50 Alterius facilis vitiisque ignoscat uterque  
 51 nil aliud memorabo, quid illa domestica turba  
 52 tot nati et natae rixaeque malique cierent  
 53 dulcis amor casus si non condiret acerbos ?

54 Nunc tibi cara domi cura est nutricula nostrae  
 55 pusillam regere imperio et moderamine turbam,  
 56 ne facto conari ausint neu turpia dicto,  
 57 ut sint in nostris recta et casta omnia tectis.  
 58 Nec minor est victus tibi sollicitudo diurni,  
 59 suppeditant pleno quem nobis ubere vaccae,  
 60 oviparaeque cohortis aves. Tum lanea fuis  
 61 fila manus vesti texendae sedula ducit,  
 62 distribuitque suis pensa absolvenda ministris.  
 63 Ipse foris quodcumque suo fert tempore vertens  
 64 annus opus facio : seu tellus poscit aratrum,  
 65 sive peroccatos jaciendum semen in agros,  
 66 sive jubet Cererem in vacuata reponere sidus  
 67 horrea spiciferis collectam messe manipulis.  
 68 Interea et pratis arent lugentibus herbae  
 69 graminis amissumque decus florumque nitorem,  
 70 tunc matura etiam carpuntur ab arbore poma,  
 71 et nuculae dantur puerili ludicra turbae.  
 72 At cum tristifico riget obsita frigore tellus,  
 73 si quid agris tenerum est glacies quod adurere possit,  
 74 stramentis Boreae tegitur contra horrida flabra.  
 75 Instruitur lignis focus, aut casa, parte videtur  
 76 si qua forte sui lacera, instauratur, et olim  
 77 ruptus acu pero succensae ad lumina pinus  
 78 sarcitur, vel lora jugis detrita reponit  
 79 dura manus, sparto vel torquet vincula plaustris :  
 80 vere novo lenem cum terra patescit ad auram.  
 81 Ergo operis redeunt curae cultusque labores,  
 82 stringuntur frondes, aperitur fossula, saepes  
 83 interrupta aliis densetur in aggere palis.  
 84 Pinguescuntque fimo arva, ligonibus eruta gratis  
 85 arborea zephyris tellus sub stirpe foveatur,  
 86 tunc et apum mellique venit, tunc pauperis horti  
 87 vinetique labor modici, mox sarculus intrat  
 88 lascivi sata laeta soli, et concluditur anni  
 89 culturae totius opus, cui Phylli tibi que  
 90 solis dextra animusque vacat. Neque splendidior me  
 91 sollicitum fortuna tenet, satis estque carere  
 92 ad mala traducente fame mihi. Nec tuus ulla  
 93 pulsus amor flamma est, ex quo me tempore primum  
 94 trans humilem tractare manus es passa fenestram  
 95 Phylli tuas, firmata fides quo pignore nostri  
 96 conjugii fuit, et tot perduravit ad annos.

#### DAPHNIS. ECLOGA IX.

E\_9 v.1 Haec quoque Sicelides, concedite carmina nobis,  
 2 si prius ad numeros venistis saepe vocatae,  
 3 et faciles cantum non invidistis agrestem,  
 4 Sicelides mihi dilectae super omnia Musae.  
 5 Vos mea vox primum est dulces sectata magistras  
 6 per Misos errantis agros, et Lipside silva,

7 tempore, quo, sero per devia longa reversus  
8 nunc repeto veteris primordia grata Camenae,  
9 antiquosque retracto modos, Musamque lacesso,  
10 arbore sub patula viridi prostratus in herba,  
11 multa movens animo, imprimis tua tristia, Daphni  
12 fata querens, casusque gemens immitis amoris.  
13 Heu mihi quid non ille potest furor ? Omnia vertit,  
14 et moderata prius vesano pectora motu  
15 concutit, et saevo placidas agit impete mentes,  
16 inspiratque malae castis incendia flammae  
17 cordibus, et teneros arrodens pascitur artus.  
18 Quae tamen hanc quorum pestem mortalibus ira  
19 productam immisit, quave illa ab origine venit ?  
20 An chaos et mundi informes genuere tenebrae ?  
21 An saevi est Martis vesanus semine cretus ?  
22 Edidit an gravida immiti discordia Cauro ?  
23 Quod si haec Idaliae est, ut fertur, vera propago,  
24 matre salo genita quem fas est dicere natum ?  
25 O scelerate Cupido, animis malus additus error,  
26 omnibus invisum exitium. Tu proelia gliscens  
27 bellorumque cives clades tristesque dolores.  
28 Tu fletus, tu maestitiae, tu funeris auctor.  
29 Tu matri in natos, in fratrem tela sorori  
30 suppeditas, capiti, te persuasore, parentis  
31 filia non parcat, patriae non parcat adulter  
32 Iliacamque suis evertit amoribus urbem.  
33 Et nunc dire puer, tua palma est proxima Daphnis.  
34 Qui miser indigno perit Oceanitidos igne,  
35 infelix formae captus splendore venustae.  
36 Infelix puer, ah puer infelix, quia mittit  
37 lutea caeruleis intexens lilia cinnis  
38 aureoloque orbis nectens curvamina filo  
39serta, tibi firmos ideo policeris amores.  
40 Falleris, haec ponit tibi callida retia Nais,  
41 implicet incautum ut nodis teneatque ligatum,  
42 servitioque premat turpi calcetque jacentem :  
43 nunc ostentata qui libertate superbis,  
44 contemnisque alios, neque sana mente feroci  
45 indulges animo, falsoque in amore triumphas.  
46 Tene amet illa sibi aut proprium velit esse maritum ?  
47 Ac non hoc agat, ut fallaci captus amore  
48 sera mali plangas spoliatus damna furoris ?  
49 Aspice quot frustrata procos infida fefellit,  
50 quorum nunc fama et rebus laetatur ademptis,  
51 illi flagitiis et paupertate gravantur,  
52 accusantque suae frustra peccata ruinae,  
53 infaustos blandae exsecrantes Naidos ignes.  
54 O utinam videas tibi quanta pericula surgant,  
55 quaeque cupidineo clades nascantur ab igne.  
56 O utinam caveas, dum suppetit hora cavendi,  
57 nec quondam amissi frustra momenta requiras  
58 temporis, infelixque mali tua damna furoris  
59 deploras, cum jam lacrimae volventur inanes,  
60 nec profecturis turgescant pectora curis,  
61 atque animus rabido jactabitur anxius aestu.  
62 Sed praecepta nihil prosunt monitusque fideles

63 cum celeres properant casus immitia fata.  
 64 Nil hominum studia, et tunc nil praesagia prosunt,  
 65 nil portenta juvant, nihil est avertere damnum  
 66 quod valeat, serumque cient vesana dolorem  
 67 gaudia, et expertos punit dementia sensus,  
 68 cordaque perniciem non vitant nescia finis.  
 69 Quod si Daphni tuum haec caput implacabilis urget  
 70 damnorum series : Haec ducunt stamina Parcae.  
 71 Scilicet et tali vita est tua debita morti ?  
 72 Quod potero exitiumque tuum deflebo vicesque  
 73 crudelis miseris decreto hoc funere, sortis :  
 74 Illus amore tibi junctus puerilibus annis.  
 75 Nam quo carior es mihi, me hoc dolor acrius urget.  
 76 At tu Daphni, aliqua est quoniam voluisse potestas,  
 77 fataque nulla vetant sibi consuluisse volentem :  
 78 fac caruisse velis te seducente suavi  
 79 cura animi aegroti, et qui te malus incitat error,  
 80 quaeque tuam vana ludunt spe gaudia mentem.  
 81 Haec propter metus et bellum et discordia demens,  
 82 cum pallore fames posuitque cubilia letum.

#### PAN. ECLOGA X.

E\_10 v.1 Vocalis magno Panem dea cepit amore,  
 2 incenditque animum flammis urentibus Echo.  
 3 Quid faciat ? Silvis quaerens et montibus errat  
 4 ille medullivori infelix solacia morbi.  
 5 At non haec modo corde levi fastuque protervo  
 6 spernit amatorem precibus neque dura movetur,  
 7 sed miserum illudens redeunteque voce lacessens  
 8 insuper irridet. Furit ille haud segnius, oestri  
 9 bucula quam mediis solis fervoribus ictu  
 10 exagitata fuga silvas mugitibus implet.  
 11 Maenaliam subter tandem projectus in umbra,  
 12 silvestri querulam meditatus harundine Musam  
 13 haec memorat pinum. Respondet garrula finem  
 14 valle propinqua, ipsum deridens carminis Echo.  
 15 O me nympha mihi dilectior, o mihi dulci  
 16 luce prior. Quae res tibi me saevissima reddit  
 17 invisum, nostros qui casus turbat amores ?  
 18 Non ego sum, neque tu potes hoc nescire, Deorum.  
 19 Ultimus in numero. Ne me contemne quod ultro  
 20 Terras humanumque genus colo, quodque parentis  
 21 praeposui caeli regno gratae otia vitae.  
 22 Vester amor divae, vestra et mihi causa cupido  
 23 desertique poli et cultae telluris, in herbis  
 24 et quarum in variis perdurat floribus aevum  
 25 quaeque lacus, saltus, valles montesque tenetis,  
 26 eximiae in terris genus immortale catervae.  
 27 Sed cum vos numero cunctas comprehendere non sit  
 28 te tamen o fugiens, mea et ingustata voluptas,  
 29 innumerabilibus solam de milibus opto.



30 Heu mihi quae tanta est injuria sortis iniquae  
 31 optatum mihi conjugium quae denegat uni.  
 32 Cum neque sit volucris cui non par accubet ales,  
 33 cum neque sit pecus in viridi sine conjugate prato.  
 34 Piscis et inveniatur cum qua sua gaudia jungat.  
 35 Me tamen aut simili aut potiori, nympha superba,  
 36 velles postposuisse viro. Quando hic tibi sordet  
 37 Pan veteris Deus Arcadiae. Nunc lumine fractus  
 38 patranti tremuloque sono, barbaque fluente  
 39 te Satyrus capit, est Satyrus tua sola voluptas.  
 40 Hunc sequeris petulans, vultuque fateris amorem.  
 41 Quodque ego mirabar, Satyrisci pectora verbis  
 42 placantem audivi prope cum vos nuper adessem  
 43 post dumos latitans. Hic vero ludere, teque  
 44 deridere malus, saepe et contemnere, quorum  
 45 nil sentire videbaris, neque labra notare  
 46 distorta, et rictu de subsannante cachinnos.  
 47 An nescis ? Aliam non te hic amat. Omnia nescis  
 48 scilicet, atque odio tibi amator et osor amori est.  
 49 Ille tamen gracilem costas, tibiasque nitentem  
 50 cereolas, amplam pectus, flavamque capillos  
 51 deperit insano Lyden correptus amore.  
 52 Hanc solam petit hanc non cum Jovis aethere summi  
 53 permutare velit. Satyro haec vita una salusque.  
 54 Sic Pan carminibus curas lenire diurnas  
 55 consuerat vernosque canens traducere soles  
 56 donec inexpectata ruens nox aequore, contra  
 57 Phoebos umbras terris emergeret axes.  
 58 Tum si forte Polis splenderet Cynthia, multis  
 59 ille preces venerans fundebat numina divae :  
 60 ut sibi dilectae praeferret ad abdita nymphae  
 61 antra facem, stellisque suum conjungere lumen  
 62 pergeret, atque sibi non dura faveret amanti,  
 63 Endymioneae recolens incendia flammae.  
 64 Quod si esset forte obscurum caligine caelum  
 65 noctis et augetur nubes collecta tenebras,  
 66 et fratri propiora hebetarent cornua Lunae :  
 67 at claras praeferre sibi Pan Lampadas ipse,  
 68 sectae inflammatis piceae de stipite taedis.  
 69 Atque novum numeris aliis tunc pangere carmen,  
 70 si qua alienum animum fugientis pectora posset  
 71 conciliare sibi ratione, ferocia nymphae.  
 72 Atque ita solivagum pascendo fovebat amorem  
 73 et desiderii motus lenibat inanis.  
 74 Ac tandem tenera mutavit Oreade longi  
 75 inveterascentes jam more cupidinis ignes,  
 76 sic ultus contemptricis fastidia nymphae.

#### OENONE. ECLOGA XI.

E\_11 v.1 Jam freta scindebant Phrygiae Hellespontia naves  
 2 Troade pube graves, Priami lacrimabile bellum

3 quaerentes urbi, et laticosam liquerat Idam  
 4 caelestis pastor formae arbiter, arduaque alto  
 5 vela Pherecleae Paridis vectura carinae  
 6 Aegaeo instructa pelago jam classe tenebant.  
 7 Nec magis arboreum tegmen, nec vile placebat  
 8 caespitibus stratum viridantibus antraque molli  
 9 sordebant aura : Neque Panum aut Naiadum illi  
 10 fistula delictum curae, nec erat magis inter  
 11 soles molle pecus cantando claudere gratum.  
 12 Sed gemmis auroque nitens fulgebat ab alta  
 13 purpureas inter vestes ostrumque recumbens  
 14 puppe : Dea aligero comitata Cupidine lenes  
 15 a tergo ratibus fluitantibus excitat Euros,  
 16 divinumque Duci formae Cytherea favorem  
 17 aspirat, memoremque animum gratesque rependit :  
 18 at misera in silvis perque alta cacumina montis  
 19 Idaei, et rupes animi Berecynthidas impos  
 20 errabat nymphae, Paridi juvenilibus annis  
 21 juncta greges tenero pascentes inter amore,  
 22 Cebrenis Phrygiis specie celeberrima silvis  
 23 Oenone, et lacrimabilibus caelum, mare, terras  
 24 questibus implebat, fetu sic bucula quondam  
 25 erepto, viridi mugit pasci immemor herba.  
 26 Nunc et in immundo foedat sua pulvere membra,  
 27 nunc et in effusos saevo ruit ungue capillos,  
 28 splendentes laceratque genas, spoliaturque decore.  
 29 Constitit ut primum sibi, pulso mente furore,  
 30 tum vero gemitus dedit imo e pectore Nympha,  
 31 et super antiqui procumbens gramina lecti  
 32 Nata sub arboribus, gratam de tegmine saepe  
 33 complexis dederant quae frondis amantibus umbram :  
 34 talibus insequitur Paridem miseranda querelis.  
 35 O mihi, dum licuit, viridi gratissima tellus  
 36 caespitem, quae laeto fovisti corpora quondam  
 37 nostra sinu, errantes hederas superantia nexu.  
 38 O quoties gremio resupinus flexit ad ora  
 39 vultus ille suos dilectae et ad oscula Nymphae.  
 40 Haec loca respondere tuum, Pari, carmen amabant.  
 41 Hoc etiam legitur miserae nunc cortice Nymphae  
 42 nomen, et adjunctum est nostro super omnia nomen  
 43 dulce tuum, aeterni et celebrator versus amoris.  
 44 Commissas tueare tibi fac popule leges,  
 45 Oenonae ac Paridis quae dicunt tempore corda  
 46 atque retro Xanthi lapsurum flumen eodem.  
 47 Sed mihi multa metum incutiunt timidamque fatigant :  
 48 nobilitas inventa et tanti copia Regni,  
 49 et divinus honor formae, et juvenilibus annis  
 50 pectora firma parum. Quin et discrimina mentem  
 51 multa viae terrere meam, terraque marique  
 52 non cessant. Neque tam ne sit mihi forte carendum  
 53 te vivo metus est, quam ne quid. Sed mihi triste  
 54 omen sollicito nullum prodibit ab ore.  
 55 O Pari, quamquam etiam fructu caret ista monere,  
 56 dulce monere tamem, verbisque absumere gratum est,  
 57 taedia tristifici mihi temporis. O Pari quale  
 58 deseruisse bonum properas damnosa secutus

59 munera fortunae ? Tibi nunc agrestia sordent  
 60 arbusta, et humiles pratis ridentibus herbae.  
 61 Idaeumque jugum et laticosi flumina montis,  
 62 flumina quae capit alma sinu gentilia. Thetys,  
 63 Rhesusque, Heptaporusque, Caresusque, Rhodiusque,  
 64 Granicusque celer, Xanthique binominis unda,  
 65 et levis Aesepus, Simoentisque alta fluenta.  
 66 Nec tibi Dardania magis est in valle voluptas  
 67 custodisse greges, stabulisque armenta sub altis  
 68 clausisse, et Phrygio cepisse in stramine somnum,  
 69 obstreperetque tibi absurdo nunc fistula cantu.  
 70 Cuncta animo alta placent. Priami te regna genusque  
 71 urbanusque facit splendor, Pari, mente superbum.  
 72 O quanto ignorasse fuit melius tibi, quo nunc  
 73 duceris ad speranda genus bona, quam melius te  
 74 nunc etiam pastor natum, velut ante, vocaret,  
 75 qui non amplius esse ursae te passus alumnum  
 76 sustulit, inque casa te eductum paupere fecit  
 77 custodem pecoris custodumque esse magistrum.  
 78 Alta petis. Casus gravior manet alta petentes,  
 79 inque loco est humili semper tutissima sedes,  
 80 deprimit ipse elata Deus sternitque superba.  
 81 Nonne vides tangi proceras fulmine quercus,  
 82 dum laedit parvos caeli vis nulla Myricas.  
 83 Atque recens nostras modo fabula venit ad aures,  
 84 ausos nescio quos alienis aera pennis,  
 85 et nubes homini insueto sulcare volatu.  
 86 E quibus alterius nimis ardua templa petentis  
 87 aetheris illustris, pelagus modo nomina signent.  
 88 Nec tibi dum Meropis genus est ignobile patris,  
 89 quem tua sit, Phaethon, sortita audacia finem  
 90 ignotum est. Quisquis sapit, hic inglorius annos  
 91 exigit, atque sibi vivens praelustria vitat,  
 92 invidiaque carens, nullorum et honoribus obstans.  
 93 Sed leviter tangit juvenum haec oratio mentes,  
 94 infatuatque animos oblata occasio caecos,  
 95 et dantur praecepta levi frustra omnia cordi.  
 96 Heu mihi quid mirae famae modo nuntiat auctor ?  
 97 Nescio divinae de quo certamine formae  
 98 iudicioque tuo, quod victrix Cypria jactet.  
 99 Haec modo ne Paridis succendant pectore flammis,  
 100 atque illae, gravida quas sensit mater in alvo  
 101 arsisse, et nostri sint isti funeris ignes.  
 102 Nil mens aegra boni praesagit. Quo tua tendunt  
 103 vela, habet haec facie praestantes terra puellas,  
 104 Argivaeque Helenae. Jam forma celebris ubique est,  
 105 pellit amorque novus subiens plerumque priorem,  
 106 quoque oculi, vertit se pectoris ardor eodem.  
 107 Cur tamen infelix tantos mihi fingo timores,  
 108 sollicitudinibus me cur exerceo vanis ?  
 109 Omnia quin potius nos fausta precamur eunti,  
 110 et reditum cupida exspectamus memte propinquum.  
 111 Quem ferat instigans roseos aurora jugales  
 112 lucida ab Idaei procedens vertice montis.  
 113 Talibus indulgens maerebat Nympha querelis,  
 114 et miscens vanam spem solabatur amorem.

115 At Paris oblitus carae Cebrenidos olim,  
 116 et pecorum et silvae, fatum patriaeque sibique  
 117 urgens funestum causam praebendo malorum :  
 118 nil nisi res agitat magno secum impete magnas,  
 119 et ruit in vitiis, cupidoque sibi omnia demens  
 120 permittit, moremque animo gerit. Interitumque  
 121 morte sua patriae factum praeventitur ipse.

BATTUS. ECLOGA XII. BATTUS, MENALCAS.

E\_12 v.1 Quae votis praesto mihi saepe vocata Thalia  
 2 antra per et silvas comes et culta arva fuisti,  
 3 tristia cum canerem lacerantes pectora curas,  
 4 solamenque esset mihi fistula sola malorum :  
 5 sive aliquid referens, cujus meminisse juvaret  
 6 conficerem longum silvestri tempus avena,  
 7 sive dolor curis deleniretur abactis ;  
 8 huic etiam faveas suscepto diva labori,  
 9 auditae et per agas mecum dictata Camenae,  
 10 seria pastorum longe in regione duorum  
 11 primorum nostra, Batti placidique Menalcae.  
 12 Dum furor et gravis ira ducum toto ardet in orbe,  
 13 et cupidus rapit in partes discordia mentes.  
 14 Victa jacet pietas miscentur sacra profanis,  
 15 summa agitur veluti vertigine concita rerum.  
 16 Ipse Deus, Deus ipse, suo spoliatur honore,  
 17 error ubique animos tenet et mendacia fulcit  
 18 vana superstitio, verique repellitur auctor,  
 19 aut regnat vitae levitas furiosa profanae,  
 20 ultima et ingratum nunc urgent tempora mundum.  
 21 Spes abit ipsa etiam fugiens. Age perge Thalia.  
 22 Battus agens pecudes, pascens armenta Menalcas  
 23 forte sub umbrosam ferventi sidere silvam  
 24 compulerant ovibusque boves junctasque capellas.  
 25 Tum prior incumbens trunco sic infit acerno  
 26 Battus, et ex alto ducit suspiria corde,  
 27 et maesto justas effundit ab ore querelas.  
 28 "O mihi, si fuerat his fatis additus ordo,  
 29 stamina rupissent celeri mea pollice Parcae.  
 30 Nam quid ego primum querar, aut quo fine quiescet  
 31 extremus dolor ? Aret humus, nec pascua parvum  
 32 lata gregem recreant, neque spem modo concipit arvom  
 33 seminis, atque novae spondet mala tempora messis.  
 34 Quin etiam irriguos liquida scaturigine campos,  
 35 semper et in solis caelique ardore virentes  
 36 immanis mihi vastat aper. Non gramine vivo  
 37 insaturatum abiit dudum pecus, haud tulit unquam  
 38 uber inane domum, spumabat flumine mulctra,  
 39 et numquam pressi deerat mihi copia lactis.  
 40 At nunc vix tenues lanas macramque reportat  
 41 pelliculam totis ovis obversata diebus.

42 Ipsa famem queritur miseranda voce capella,  
43 occlusisque jacent cellis squalentia vasa.  
44 Tum jam nulla domi in stabulis mihi pabula restant,  
45 quae diuturna absumpsit hiems, haec et loca miles,  
46 ante dies nullo qui transiit ordine, paucos  
47 impius, heu miseris tempestas saeva Colonis  
48 nec minus hostili metuendum civibus agmen.  
49 Pabula quid narro ? Erepta est infantibus esca  
50 e manibus pueris, excussusque angulus omnis  
51 pauperis in tugurii conserta cratibus aede.  
52 Quid memorem uxorem et natas latitando pudorem  
53 vix servasse suum. Rapiendo et tota ferendo  
54 nostra in pacato vastata domus jacet agro.  
55 Quid captis aliud patrarent urbibus hostes ?"  
56 Hos Battum questus conantem augere Menalcas  
57 interpellat, habere animumque bonum jubet : "Et quod  
58 fors ferat aequa mente pati. Quid proficis, inquit,  
59 ipse tuum cor edens, animumque doloribus angens ?  
60 Mens tranquilla mali quantumvis pondera magni  
61 dimidio leviora facit. Quod si tulit istos  
62 tempus id eventus in quod nostra incidit aetas,  
63 cur tu fortunam communem ferre recusas ?  
64 Forti animo esse decet, neque desperare dolendo,  
65 Batte, hominem dum vita manet. Quam multa videmus  
66 mutare alternando diem. Phoebeia Lunam  
67 quam lux obscuravit heri, mox Batte renasci  
68 et proferre iterum fulgentia cornua cernes,  
69 ut crescendo suum paulatim compleat orbem.  
70 Destitui spe turpe viro est. Graviora tulerunt  
71 olim alii, melior tandem fortuna revisens  
72 quos rursum stabili afflictos in sede locavit.  
73 Invenies et tu, tibi sit modo quaerere curae,  
74 qui tua damna levet. Qui totos redderet agros  
75 et pecus ereptum, et tutae silvestria vitae,  
76 ipse suo, reperit, studio quondam otia, Pastor,  
77 Pastor in adversis constanti pectore rebus,  
78 profuit et cui cum vellet fortuna nocere  
79 culta Veronensis turbans confinia terrae,  
80 ac vicina tui carpens loca Mantua ruris.  
81 Et tua dulcisonos edit quoque fistula cantus,  
82 et tua vox resonat doctis arguta Camenis.  
83 Interea mea, Batte, velim, quaecumque supersunt,  
84 esse putes tua. Sunt mihi pabula, copia frugum est.  
85 Forsitan et vani terroris opinio fallat,  
86 evenietque metu nostro felicior annus,  
87 succurretque Dei accisis clementia rebus :  
88 illius, quem nos vera pietate colentes  
89 novimus esse Deum caelo terraque potentem.  
90 Cujus nos precibus venerantes numina castis  
91 firma, quicquid erit, freti ipso mente feremus."

## DAPHNIS II. ECLOGA XIII. DAPHNIS ET PALAEMON.

E\_13 v.1 Tempus erat matura metunt quo farra coloni,  
 2 et tonsis restant stipularum fragmina campis,  
 3 atque novis petitur largus sementibus imber.  
 4 At gaza hortorum specie variatur amoena  
 5 arboreisque nitent fetus ramosque recurvant :  
 6 congressi et quondam duo in hac noti omnibus ora  
 7 pastores, medium cum sol peragraret Olympum,  
 8 Daphnis fistulam amans, et praestans voce Palaemon,  
 9 silvestrem repetunt post longa silentia Musam.  
 10 Sicque infit Daphnin prior appellare Palaemon :  
 11 Bucolicas, aut quid tu censes Daphni, Camenas  
 12 instauramus ? An hoc studium cur amque relinquis,  
 13 nec tibi jam cantus, nec jam tibi fistula cordi,  
 14 Aonidumque extinctus amor ? Postquam omnia quaedam  
 15 barbara confudit rabies hominumque Deumque  
 16 jura, furor toto grassatur Martius orbe.  
 DAPHNIS  
 17 Quid faciam ? Neque jam silvas neque prata Palaemon,  
 18 carmina nostra juvant odere et carmina Nymphae,  
 19 Pan quoque carminibus non praebet jam magis aures.  
 PALAEMON  
 20 Qua tamen hoc melius tempus ratione teremus ?  
 21 An potius somno super indulgebimus herbis  
 22 strati ad aquas leni fluitantis murmure rivi ?  
 DAPHNIS  
 23 Ergo age si quid habes, meditatum prome Palaemon.  
 24 Suscita et in nostro latitantes pectore Musas,  
 25 desuetam et revoca vetera ad certamina mentem.  
 PALAEMON  
 26 Oeagridentes iterum spoliatus conjuge vates  
 27 maestus Threicias lugubri carmine silvas  
 28 dum celebrat, citharaeque sonis maerentia verba  
 29 et vocem pressi queribundam attemperat oris,  
 30 teque suam Eurydicem, Eurydicen vocat, et miser absque  
 31 integros dapibus soles, somnique tenebras  
 32 ingente expertes aeger traducit amore :  
 33 Sithonis heu subito crudelia corda furore  
 34 horribili correpta manus sese instruit armis.  
 35 Haec saxa, illa ense fert, haec longam quatit hastam,  
 36 inque ruunt vatem, et cantus clamore retundunt,  
 37 exanimique caput resecant, citharaeque refixum  
 38 annectunt quernis, visu miserabile, clavis :  
 39 in pelagusque ambo abjiciunt, ludibria saevis  
 40 fluctibus, et pugnas quondam miscentibus austris.  
 41 Non tamen haec sacrum divini exangue poetae  
 42 muta caput comitabatur, sed carmina vasto  
 43 edebat non ante mari exaudita, suique  
 44 deplorans Domini crudelia fata, necemque  
 45 infandam vitrei sic nabat gutgite ponti,  
 46 leves arrecto auscultarunt vertice rupes,  
 47 auscultaverunt sinuosi littora ponti,  
 48 insulae et Aegaei circumfluae in aequoris undis,  
 49 demulsitque mare et scopulos Orpheia surdos

50 testudo, et ventos resonans nubesque repressit,  
 51 quae Ciconum paulo rabiosa nequiverat ante  
 52 flectere corda nurus. Sed jam Macareia Lesbos  
 53 officio capitis sancto gaudebat humati,  
 54 praemiaque eximiae tulerat praeclara Camenae ;  
 55 cum Thraces factum uxorum didicere suarum ;  
 56 audacis factum detestandique furoris ;  
 57 iratique animis ferro candente perurunt  
 58 femineos vultus, scelerisque nocentia signis  
 59 ora notant ; et adhuc morem haec gens obtinet istum,  
 60 in poenam extincti insontem quoque, vatis, adurunt  
 61 posteritatem, atque haec persolvunt justa poetae,  
 62 immerita quem caede sui Rhodopeides olim,  
 63 heu mihi quo generis probro, jugulare fuissent  
 64 ausae, animis Stygio infectis de fonte veneno.

## DAPHNIS

65 Deditus aucupio quondam puer arbore densum  
 66 ingrediturque nemus, fert et sua lumina circum,  
 67 si qua conspiciat residentes fronde volucres,  
 68 praedam animoque oculisque petens. Tandem omnia lustrans  
 69 ferret avis speciem qui prae se, grandibus alis  
 70 aureolis misto plumis candore renidens,  
 71 pennigerum Veneris natum videt, ille comantis  
 72 sub buxi quasi se foliis abscondere vellet,  
 73 implicitos ramos viridesque subire latebras  
 74 at puer hoc laetus successu protulit artis  
 75 instrumenta suae, calamos viscumque tenacem,  
 76 atque imitabundo sonitus dedit ore volucres,  
 77 observans huc atque illuc salientis Amoris  
 78 impetum, et egregiam cupido spem corde capessit.  
 79 Ales enim ille ingens praeclaraque praeda videri.  
 80 Verum ubi cautus Amor conatum eludit inanem  
 81 vitat et insidias pueri, nec voce movetur :  
 82 ille humi harundinibus positus, ibi propter, arantem  
 83 declivi sub colle senem cursu petit, ille  
 84 aucupii puero dederat praecepta Magister ;  
 85 quidque sibi acciderit narrat, monstratque volucrem  
 86 eximium, et dolet ad nihilum recidisse laborem.  
 87 Huic senior caput inclinans haec deinde querenti  
 88 reddidit, et risus admiscens talia fatur :  
 89 ne, mihi care puer, damnosam ne pete praedam,  
 90 aque isto celerem cursum deflecte volucris,  
 91 bestia saeva haec est, fuge per juga, flumina, silvas  
 92 immanem volucrem, felix si prendere numquam  
 93 contigerit tibi. Quin post paucos ilicet annos  
 94 sponte sua hic in te sese inferet, et petet ultro  
 95 ipse tuum caput, et super excutiente residet.  
 96 Captus hic exstingui, servari idem nequit ales,  
 97 nullae istum caveae exsultantem claudere possunt,  
 98 quin, dictu mirum, et moriens aliquando revixit.  
 99 Callidus humanis capitur non artibus unquam,  
 100 sed venit, et sese capiendum ultro improbus offert,  
 101 admiscens vim blanditiis, subigensque coactos.  
 102 Nec prodest fuga saepe, nocetque sequendo fugacem  
 103 hunc captare, in quo duo sunt contraria, nullo

104 cura modo exercens animos, et summa voluptas.  
 105 Haec avis et liquido sublimis in aere fertur,  
 106 et sola terrarum ingreditur, maris et subit undas.  
 107 Scitanti nomen puero memorare volebat,  
 108 conversum in faciem humanam cum vidit Amorem  
 109 propter stare senex, subitoque exterritus haesit,  
 110 nominis ille et hians prima os in voce repressit.  
 111 Ille, quid ad nostrum conspectum, stulte pavescis  
 112 a me, inquit, nihil est tibi nunc longaeve timendum,  
 113 nam neque militiae neque Amori est apta senectus,  
 114 nec puer in discrimen adhuc tuus hic venit ullum.  
 115 Qui si forte meas volet ipse evadere vires,  
 116 nec blandimentis animo constante moveri,  
 117 tunc videat caveatque, ea cum jam venerit aetas,  
 118 quae mihi jam paulo post opportuna propinquat.  
 119 Dixit, et ex oculis amborum evanuit, inque  
 120 sollicitudinibus variis relliquit utrumque.

#### ILLUS. ECLOGA XIV.

E\_14 v.1 Forte sub umbrosa quercu consederat Illus,  
 2 astiteratque puer, genitoris maxima cura,  
 3 stirpe puer nitens Polybus, baculumque sinistra  
 4 ungue gerens tenero spoliatum fronde columnum.  
 5 Tum senior tardante sono sic incipit, ipse  
 6 a tergo excepti tectus bona carice verba.  
 7 "Non ego te dilecte puer, spes sola senectae  
 8 et dulcedo meae, quos cernis adesse juvencos,  
 9 quasque boves numerare potes, pecudesque et agellum  
 10 paupere cum casula tantum servando tueri  
 11 praecipiens hortor, ne res te cogat egentem  
 12 sollicitare alios precibus timidumque petendo  
 13 demisso vultu trepidisque accedere verbis,  
 14 cumque pudore refutatum discedere maestum :  
 15 sed simul his jubeo, quae parta tenemus honeste,  
 16 teque frui, pariterque tuis ea tradere natis :  
 17 et, mihi quod multo est pluris, sic vivere ut illis  
 18 ac potioribus his etiam dignus videaris.  
 19 Id fieri quamnam possit ratione, quod olim  
 20 demonstravit avus nobis tuus, accipe paucis,  
 21 tempore quo medium sol circumvolvitur axem ;  
 22 concedit pecorique et nobis hora quietem.  
 23 Atque a me paucis quae narrabuntur, eorum  
 24 excipiet totam longa experientia vitam.  
 25 Principio venerare Deum pietate fideque  
 26 sincera, et sanctae observamine relligionis,  
 27 omnisque in hujus tua spes bonitate locetur.  
 28 Tum reverere tuos grates referendo parentes,  
 29 cumque his te cunctos qui sunt aetate priores :  
 30 atque offensuris factis dictisque caveto  
 31 aequalem laesisse tuum, officiosus in omnes.  
 32 Inprimis velis et remis esca malorum



33 turpifici et vitii fugiatur causa, voluptas,  
 34 quaeque hanc conciliant depravatae otia vitae  
 35 otia regna, domos, urbes perdentia totas.  
 36 Otia perpetuo fortunae inimica secundae,  
 37 otia virtutis semper contraria laudi.  
 38 Enervatur ab his animus, fit debile corpus.  
 39 At te operis numquam pudeat, pigeatve laboris.  
 40 Dulcia sint potius tibi desidiosa pudori,  
 41 ac pigeat fecisse forent quae turpia dictu.  
 42 Ecce inarata jacet pars arvi, et vinea quaerit  
 43 respectum, ut lacrimae primum de palmite manant.  
 44 Hic tuus est labor ille hoc est opus. Haud decet ullum  
 45 aetate in juveni<> pueri praetendere causam,  
 46 fistula deficitur cera, aiebas, mea, nuper,  
 47 scissaque detriti peronis aluta fatiscit.  
 48 At tuum opus proprium sit fistula, nate, resecta  
 49 et facile est opus hoc. Etiam sint integra dextra  
 50 calceamenta tua. Non est hoc turpe colono.  
 51 Semper ad artifices est turpe venire tabernas,  
 52 alteriusque manus operasque requirere semper.  
 53 Flagitio obstantem serva scelerique pudorem,  
 54 rem pudor impediatur nullam perversus honestam.  
 55 Ad decus et laudem directo tramite tendit,  
 56 quem peccare pudet. Pudor est pulcherrima virtus.  
 57 Is peritque in quo perit pudor. Optimus ille est,  
 58 qui color ingenuas tingendo rubedine malas  
 59 in juvenum ore nitet. Neque sunt sermone pudentes,  
 60 obstrepero nimii, neque agendis rebus inepti.  
 61 Obtrectatores minime, minime insidiosos,  
 62 semper et in se, non alios, inquirere prompti,  
 63 futilis imprimis fugiunt mendacia linguae.  
 64 Pax his est altrixque hominum concordia curae,  
 65 instar et est odio bellum ac discordia, mortis.  
 66 Non violant leges, non solvunt vincula juris,  
 67 non turbant socii civilia foedera coetus.  
 68 His placide et caste et moderate degitur omnis  
 69 grata Deo aeterno et cunctis mortalibus aetas.  
 70 Denique ubi hic pudor est, illic vitium exulat omne.  
 71 Hunc tibi commendant vestri praecepta parentis,  
 72 hunc colere ille jubet te, hunc tota mente tueri,  
 73 inque hoc felicis bona quaerere tempora vitae.  
 74 O puer, o cave ne amittas, mihi care, pudorem.  
 75 Talia dum memorat monstratque fideliter Illus,  
 76 velle videreturque his dicere plura, mihi que  
 77 audere imprimis jucundum plura fuisset :  
 78 cogere erat pecudumque greges armentaque tempus,  
 79 ipse et in hoc faciens finem sermone quievit.

MOERIS. ECLOGA XV. MOERIS, CORYDON.

E\_15 v.1 Ille hircus vites scelerato dente Menalcae  
 2 arrodens teneras, nostris glaebaque petitus

3 arbustis, qui pulsus heri frondentibus, in me  
 4 cum malus obversis infesta cornibus ictum  
 5 fronte minaretur, conspecto hoc fuste recessit :  
 6 ille hircus vagus, atque aliena per arva petulcus  
 7 huc illuc cunctis odium pastoribus errans,  
 8 raucus voce, oculo venis rutilante cruentis,  
 9 cui macie et scabie pellis deformis, et udae  
 10 mucosum stillant nares faucesque venenum,  
 11 ille igitur Corydon, quaeso, quando improbus hircus  
 12 jam domino tandem vicini ruris Amyntae  
 13 his tolerabilius cohibente, nocebit agellis ?

CORYDON

14 Moeri meam memoras curam mihi. Sensit et hujus  
 15 damna nemus pestis nostrum stirpesque novellae.  
 16 Quin vim nostra omnes istam regione queruntur,  
 17 cura gregum quibus est armentorumque fidelis.  
 18 Nec laeto quicquam ramo, herba, flore virescens  
 19 non labefactantis laniatus pertulit oris.  
 20 Atque inter magnos propter mala multa dolores,  
 21 nuper paene tamen fuerat mihi risus obortus  
 22 mirificam ad speciem, qua ille hircus se redeunti  
 23 forte domum mihi sarmentorum fasce granato,  
 24 amnis per medium nostri dum transeo pontem,  
 25 obtulit implicitum gestans in cornua cribrum,  
 26 et laceri hinc illinc pendentia guttura Galli,  
 27 nescio ubi petulans nactus. Sed ab hoc nihil aiunt  
 28 tutum usquam pecore incontrectatumque relinqui.

MOERIS

29 Vidi et ego non distracta cum merce revertens  
 30 ad nostram urbe casam, haec, nisi fallor, septima lux est,  
 31 festucis varioque illum hircum fragmine torvam  
 32 frontem intricatum, fabri insultasse tabernae  
 33 more suoque ibi delicias fecisse putares,  
 34 aspersum et micis auremque caputque minutis.  
 35 Tanta sed admittunt nullos incommoda risus.

CORYDON

36 Ille quidem, ut verum fatear, noster fuit herbis  
 37 Sardois, et felle magis quoque risus amarus.  
 38 Tristitiae et tamen esse modum decet optime Moeri.

MOERIS

39 Anne mali nullum finem sperabimus hujus ?  
 40 Illi hirco praesertim aliis sociare paratis  
 41 immanem rictus rabiem rostrique furores.  
 42 Non etiam nostri nullis gaudentibus agri,  
 43 haec aliqui narrent si detrimenta, colonis  
 44 plane huic addictis. An tu si forte Lycortas  
 45 aut Chromis, aut Mopsus populantem cerneret ista,  
 46 quae quanto studio posuit plantaria Daphnis,

CORYDON

47 hanc conaturos censes depellere noxam ?  
 48 Ut libet isti et eis similes donec licet, irae  
 49 occultae fraudes sint exercere parati.  
 50 Nos tamen interea petimur dum clamque palamque  
 51 quid sperare vetat ? Melius fore. Vita superstes  
 52 donec in his animi retinet spiramina membris  
 53 cum quoque ea acciderint nostrum quae nemo timere

54 non etiam potuit somni occursura quiete.  
 55 Quis jam dehinc dubitet fieri quin omnia possint,  
 56 ut vel Arionii viridi Delphines in herba  
 57 pascantur maria egressi, vel prata relinquunt  
 58 ut pecudes, silvasque ferae, vicibusque novatis  
 59 naturae hae saliant in salsas aequoris undas,  
 60 illi altis errent in montibus. Et tamen hanc spem  
 61 cum certam spondent nobis tum multa propinquam.

## MOERIS

62 Cuncta Dei regit in terris aeterna potestas,  
 63 cui facile est quod vult factu, neque viribus obstat  
 64 ipsius in rerum hoc immensis ordine quicquam.  
 65 Quid tamen hanc age promittat spem dicito nobis.

## CORYDON

66 Cura boni tandem conversa ad ruris Amyntae  
 67 respectum miseri, reparandaeque otia pacis.  
 68 Custodes quem caprigenae, turba impia, prolis  
 69 jam fallunt minus atque minus, melioraque dudum  
 70 admittunt aures sibique utiliora suisque,  
 71 communemque juvante Deo, allatura salutem.  
 72 Jamque etiam aspectus ceu mortiferi basilisci  
 73 illum hircum quondam quos collaudare suetos  
 74 audierat, vitare ferunt. Sed numquid et istud  
 75 Moeri tibi dictum est, sparsit quod garrula fama  
 76 quidam aries quod in hanc pecudem sua cornua nuper  
 77 impiger incurrentem impegerit. Haud scio quonam  
 78 eventu, et sunt diversi diversa locuti.

## MOERIS

79 Assecla pastoris Damoetae nudius Aegon  
 80 tertius hic me adiit, deque hoc certamine quiddam  
 81 narravit, seque incursus vidisse paventem.  
 82 Impete sic, inquit, vehemente ruebat uterque.  
 83 Quod nisi fortuito casu tunc illa dirempta  
 84 proelia tanta forent, aries discedere victor  
 85 illo hirco posset cornu vestigia laeso  
 86 uno, jam referente, fugam trepideque parante.  
 87 Sed non passa fuit procedere longius iras  
 88 interjecta morae quaedam tunc sors inopina.  
 89 De qua re cum plura Aegon mihi dicere vellet,  
 90 e pinus veteris rima erumpendo volantes  
 91 crabrones Meliboeus adest, qui nuntiet agnos  
 92 exagitare, vocatque Aegona abscedere. At ille  
 93 obscurae tamen haec referebat murmure vocis  
 94 exaudita sibi : petulans, immane, protervum,  
 95 illum hircum, pecus, agricolarum clade ferocem,  
 96 castratum fore deinde minus fortasse nocentem.

## CORYDON

97 Aut hoc fiat, in exsecto male virus olebit  
 98 sic etiam minus. Aut aries contorta, striata  
 99 grandia in hunc rursum renovato cornua bello,  
 100 quem modo dicebas, mox inferat acrius urgens,  
 101 dum cornu latebras confracto quaerat utroque  
 102 saevum animal, terrasque quies optata revisat.

## MOERIS

103 At Corydon nos, quod mandat est, munus agamus.  
 104 Vimine tu mollique tuam detexito junco

105 fiscellam : exsequar hoc iter ipse quod instat ad urbem.  
 106 Ne rursus officii nostri admoneat, velut ante,  
 107 obtrectante petens Mopsi nos fistula cantu.

EPITHALAMION MELUDRION. EKLOGH XVI.

E\_16 (Grec)

MELOS EPIKHDEION KORYDON H THPHNOI EKLOGH XVII

E\_17 (Grec)

CARMEN EPITHALAMIUM. ECLOGA XVIII.

E\_18 v.1 Est locus, in terra qua se Germanide latus  
 2 campus ad Hercyniae juga tendens ardua silva  
 3 Misiniaci a vicina aperit regione coloni,  
 4 Cattorumque suis attingit finibus oras  
 5 dilectus Cereri et Baccho, nec non tibi custos  
 6 quondam Admetei pecoris, cum pastor Apollo  
 7 fixisti caulas Amphrysia flumina circum :  
 8 hic urbs est sita quam patria incola voce Salissam  
 9 appellat, juncto distinguens nomine Longae,  
 10 praefectura tua Eriche Volcmare nobile cujus  
 11 stemma nitet gentis Berlipsidos, inter et hujus  
 12 gentis stemma vetus Duringos, inter et Hessos  
 13 majorum virtute fideque et fortibus actis :  
 14 inde solum tu Misniacum jam sponsus adisti,  
 15 vallis amoena ubi Bornissos complectitur agros,  
 16 promissamque tibi mater natam ante marito  
 17 uxorem dare decreerat propriamque dicare,  
 18 majorum gentisque suae more. Atque erat anni  
 19 hibernos tempus pergens concludere menses,  
 20 jamque dies claris procedere solibus auctus  
 21 quam paulo ante magis, brevior et reddere noctem  
 22 coeperat, et modo crescentem producere lucem,  
 23 cum nec hiems abiit penitus, nec prorsus adest ver :  
 24 quando ibi vicinis e sedibus undique coetus  
 25 virgineus, spectata cohors, et divite cultu  
 26 et forma insigni laetam duxere choream  
 27 ante fores thalami quem picta holoserica cingunt,  
 28 quaeque torum instructum variata tapetia rarae  
 29 artis acu externa decorant, cum clauderet intus  
 30 praefectus sponsam sibi toto pectore caram.  
 31 Atque bis ex illis senae lectae omnibus uno  
 32 argutis tenerisque modis tunc carmen ab ore  
 33 complevere sono fundentes atria claro.  
 34 Aurea cunctarum plexis aptata capillis  
 35 reticula exornant caput, emicat undique lucens

36 laminae opus tenuis, super et serti levis orbes  
 37 ex amaranti et roris habent compage marini,  
 38 colla tegunt late bacata monilia gemmis,  
 39 totaque velantur pretiosa corpora veste :  
 40 hoc habitu et vultu illae haec concinere pudico,  
 41 auxeruntque pedum concinno carmina motu.  
 42 Circumstat juvenum spectatrix densa caterva,  
 43 inque alius figens oculos alia haeret. At illae  
 44 sic peragunt hilari gestu cantuque hymenaeum.  
 45 O juvenum flos, sponse, tuae decus inclute gentis,  
 46 usque adeone tibi vix primo tempore noctis,  
 47 paulo ante occiduas digresso sole sub umbras,  
 48 tot placuit cubitum convivis ire relictis ?  
 49 An defessus abes ? Te jamque labantia membra  
 50 destituunt ? Suadent an vina capessere somnum  
 51 largius in cena modo festi epota diei ?  
 52 Ac tu sponse, tibi siquidem dormire libebat,  
 53 arbitrio ipse tuo poteris petiisse cubile,  
 54 virgo tibi at cum virginibus vigilare liceret,  
 55 hancque etiam ludo noctem consumere honesto,  
 56 dum caneret lucis signum praenuntius ales.  
 57 Nam nostro e numero jam pars haec demitur una,  
 58 at tua semper erit proprii possessio juris  
 59 ista, domus gener egregiae, noctesque diesque  
 60 totisque integros menses vertentibus annis.  
 61 Inclute Misniacos agros te sponse petente,  
 62 vir bonus atque pius tunc sternuit omine fausto  
 63 quispiam, iterque tuum felice ita sorte peractum est.  
 64 Uno namque cubat tecum pulcherrima lecto  
 65 nostrarum nulli ingenio ac virtute secunda,  
 66 et praestans aliis forma omnibus, hoc celebrare  
 67 nos juvat et nobis nostram praeferre sodalem,  
 68 et propriam illius famae postponere famam,  
 69 inter Misniadas cum prima sit ista puellas.  
 70 Quippe diebus ubi, pro consuetudine, festis  
 71 aut aliquo natali, aut pompa conubiali,  
 72 congressae fuimus numero nos undique magno,  
 73 Misniaca primae de nobilitate puellae,  
 74 vix ibi tunc ullam nostrum sine labe videres,  
 75 huic si conferres, quamvis per se speciosam,  
 76 cui pulchrum pulchrae fecit Lucretia nomen,  
 77 gente Selenicia terraque Serhuside natae,  
 78 gente Selenicia communi utriusque parentis,  
 79 gente nec extremae ignota regionibus orae.  
 80 Utque olim aequali vernans de nocte relucet  
 81 exoriens aurora hiemis post frigora durae :  
 82 sic quondam in nostris fulgebat coetibus illa,  
 83 flammeolis oculis, roseo ore genisque renidens  
 84 purpureis, imitantur ebur cervixque manusque.  
 85 Utque exstat pingui tumulus sulcatus in arvo,  
 86 multiferis spectatur ut alta cupressus in hortis,  
 87 Pegasus et sinuans aut Cyllarus ardua crura :  
 88 sic conversa in se cunctarum haec ora tenebat ;  
 89 non etiam illa ignara colum torquere sequacem,  
 90 non fusos agitare habiles, non texere telam  
 91 pectine densatam, variae non pingere miros

92 vestis acu ornatus, scires habuisse magistram  
 93 hanc, cui Palladia occultum nihil esset in arte.  
 94 Cantantem audires, Musas audire putares.  
 95 O dilecta gregi nostro pulcherrima virgo,  
 96 nunc habitura domum propriam, nobisque relictis  
 97 casta viri lectum custoditura jugalem.  
 98 At nos nulla tui capient oblivia, et ista  
 99 quae gerimus distincta tuo nuncserta colore,  
 100 et quae praetexunt nitidas crinalia frontes,  
 101 nos, dilecta, tui immemores, Lucretia numquam  
 102 esse sinent oculis crebro occurrentia nostris  
 103 suspensa in propriis thalamis. Te deinde requiret  
 104 noster amor, lactens quondam agnus ut ubera matris.  
 105 Atque tuae illaesae fuit hic Lucretia nuper  
 106 virginitatis honor, laus formae caelibis ista :  
 107 at tu quam faciem ostendes, carissima, nobis  
 108 prima luce tuis, ex his emersa tenebris ?  
 109 Nam veluti intacti est species pulcherrima floris,  
 110 complures cultis quos semper habemus in hortis.  
 111 Liliaque et violas genera et diversa rosarum,  
 112 et te praecipue nectendis apta coronis  
 113 formoso ex puero qui suave rubes hyacinthe :  
 114 sic est virginei nitor admirabilis oris,  
 115 sic facies quodam eximio splendore relucet,  
 116 donec sincerum tenet inviolata pudorem.  
 117 Et nisi deciderint flores tamen ante, nec arbor  
 118 nec possunt herbae fructus producere, non fert  
 119 laeta seges fruges non Bacchi vinea sucos.  
 120 Quid steriles ulmi ? Quid vitis ? Si caret uvis.  
 121 Et fetura hominum si non suppleverit ortus,  
 122 quid tandem illorum est de societate futurum ?  
 123 Nos etiam optamus mutatae haec munia formae,  
 124 quodque pudor carpit, liceat modo vera fateri,  
 125 mens tacita atque animi secreta cupido requirit.  
 126 Felix quae talem reperisti nupta maritum,  
 127 tuque vir hac felix tali qui conjuge gaudes,  
 128 felices stirpis vinclis utriusque propinqui.  
 129 Sponsa modo et jam nupta vale, nunc sponse vale et vir,  
 130 sponse iterum, et tu sponsa vale, et par nobile salve :  
 131 vos Deus humani generis servator et auctor  
 132 aeternus pater aeterni nati, unde piorum  
 133 spiritus egrediens sua dona in pectora fundit,  
 134 incolumes longo diuturnae tempore vitae  
 135 propitius servans et cuncta adversa repellens  
 136 vestra sit ut concors faciat sine fine voluntas,  
 137 vos simili et vobis subole augeat. Haud erit ille  
 138 partus iners prolem tulerit matrique patrique  
 139 qui bonitate parem. Sic a majoribus ortum  
 140 antiquum genus et clara virtute celebre,  
 141 laudatum sera est in posteritate futurum,  
 142 illustrisque domus erit hujus fama perennis.  
 143 Ista puellarum finivit clausula cantum  
 144 commendans sponsae subtili voce decorem.  
 145 Cum pridem Oceani se demisisset in undas  
 146 Vesper, et ad medium cursu nox vergeret axem.  
 147 At juvenum accessit jubare orto mane caterva

148 et te sponse canens, et dulces carmine nexus  
149 conjugii celebrans. Generis te gloria vestri  
150 Sitticchi patris et genetricis Collerinae,  
151 in sublime ornat tollens et honoribus auget.  
152 Sed tua te virtus super altius evehit illos,  
153 atque novis gentem Berlipsida laudibus esse  
154 ordine cum primis spectatam reddit equestri.  
155 In te mens rectique tenax studiosaque honesti,  
156 ingeniumque bonis insigniter artibus aptum,  
157 et numquam inflexa ad vitiorum probra voluntas.  
158 In te relligionis Amor, pietasque fidesque,  
159 excellens magis hoc praeclarae nomine famae,  
160 quo fieri ferme ista videmus ubique minoris,  
161 usque adeo, ut furor et vulgi haec amentia ridens  
162 esse bonosque probosque ignavum ducat inersque  
163 huc adde ingenii lumen, studiique labores  
164 doctrinae et cultus : Te Gallia et Itala tellus  
165 nunc etiam audito miratur nomine, et esse  
166 Germanos populum humanum fortemque fatetur.  
167 Praeque aliis bene te morata Bononia gaudet  
168 hospite, virtutum testis non vana tuarum.  
169 Te natus Tusco nutritusque audiat agro,  
170 et priscis Sequanae cum Celtis accola Francus,  
171 esse suum civem juratus dicet uterque.  
172 Quanta sed est Latii sermonis copia puri ?  
173 Qua cura patriae perculsa oratio linguae ?  
174 Splendida quo studio dicendi parta facultas ?  
175 Quae legum et sancti quaesita scientia juris ?  
176 Nunc te concilium augustum desiderat, unum  
177 ex numero imperii quo impletur curia divi,  
178 conflaturque sacri terris tutela senatus,  
179 causa et iudicio quaevis deceditur aequo,  
180 fulsit ubi tua constantis prudentia mentis.  
181 At fruitur tellus te praeside laeta, paterna,  
182 in tua qua virtus rara et sapientia lucet  
183 aetherios inter reliquos ut Phosphorus ignes.  
184 Ac tua nunc et jam hoc cumulantur plurima facto  
185 egregie prius acta et gesta : quod integer aevi  
186 atque incorruptae splendescens flore juventae,  
187 ante tuam quam flagitiis obscena voluptas  
188 et turpi infamem macularet crimine vitam,  
189 scandis legitimi concessa cubilia lecti,  
190 et dulces certi fructus decerpis amoris,  
191 pectora pectoribus casto jungens hymenaeo.  
192 Quo sine nunquam ignominia caret, aut comitantem  
193 gratiam habet Cytherea, vagante libidinis aestu.  
194 Tollite conjugium, natura ruet, quia nectit  
195 mutua totius compagem copula mundi,  
196 inque hoc quicquid inest conubia laeta propagant :  
197 quadrupedum volucrumque genus turbamque natantum.  
198 Quin etiam palmis perhibetur inesse cupido  
199 complexus, vitis circum seque implicat ulmum.  
200 Quod si concrescunt lapides, ut creditur, et jam  
201 conjugii in cassis anima se ostendit imago.  
202 Sed cur exemplis alienis quaerimus uti ?  
203 Nostrum aliquis genus aspiciat. Non hoc modo servat

204 concubitus, sed concubitus lex certa pudorque,  
 205 qui duo secernens ex omnibus efficit unum,  
 206 atque unum duplicat rursum. Hinc sapientia nata,  
 207 hinc virtus hominum sese exserit, et parit artes.  
 208 Non fora, non urbes, non esset cultus agrorum,  
 209 fundamenta nisi jaceret domus omnibus una.  
 210 Ad majora animus fertur, cui virgo parens est  
 211 aeterni nato patris, hujus quae sit origo  
 212 in terris monstrat series inde usque ab Adamo  
 213 continuata, satus perque enumerata jugales,  
 214 donec Christe creat te sanctae virginis alvus,  
 215 nomine non etiam expertis neque lege mariti.  
 216 Ad nos conjugii sed mentio nostra recurrat.  
 217 Conjugium, Cecropis geminatos instruit artus,  
 218 utque sit alterius facit alter pes, manus, auris,  
 219 et stabilit quicquid firmum est fulcitque ruinas.  
 220 Pondera curarum minuunt divisa dolores,  
 221 commoda laetitiae augescunt partita duobus.  
 222 Suppeditantur opes : gratas concordia reddit.  
 223 Res parva est : rem multiplicat concordia parvam,  
 224 solamenque domo est concordia paupere praesens.  
 225 Temperat hoc flammam laxatque cupidinis arcus,  
 226 et desiderium justo moderamine miscet,  
 227 custoditque domum, affectusque in corde refrenat,  
 228 et pacti blandas leges consignat amoris,  
 229 debitaque officii persolvit mutua justii.  
 230 Utque trahunt facili bijuges simul esseda nisu,  
 231 conjugum ita aequali cursu deducitur aetas :  
 232 his fontis scatet una domi, intractabilis unda  
 233 externis manibus non haec vaga flumine manans  
 234 luxuriante foras, non rivum aliunde requirens  
 235 deducti laticis, proprii sed plena liquoris,  
 236 Pura perennis aquae semper quem copia fundit.  
 237 Unum hi corpore sunt, animi his sententia concors.  
 238 Hos pius urget amor, nec saucia pectora turpi  
 239 vulnere, ab infami missa Cythereius arcu  
 240 quale puer dira facit exitiale sagitta,  
 241 implorare Deum fugiunt, precibusque salutem  
 242 et refragantis votis exposcere cordis.  
 243 Quod si cui soli concessum est caelibe vita  
 244 claustra impolluti servare integra pudoris,  
 245 et penitus vetitae exstinxisse libidinis ignes,  
 246 gaudeat, et grata divini mente fruatur  
 247 munere communem sortem superante favoris.  
 248 Talia dum juvenum celebrantur carmina voce  
 249 coepit purpureos aurora ostendere vultus,  
 250 tympana jamque sonant, simul et dat tibia cantus,  
 251 atque nova alterius reparantur festa diei.  
 252 Hactenus at versu nos haec retulisse Latino  
 253 sit satis, et laetis memorasse audita Camenis.  
 254 Procedat vertens completis mensibus annus,  
 255 propitio adjutore Deo, cujus veneratur  
 256 relligio nostra et solius numen adorat,  
 257 aeterni patris et nati cum flamine sancto :  
 258 nosque Genethliaca cumulabimus ista Thalia.



PHYLLIS. ECLOGA XIX. THESTYLIS ET PHYLLIS.

E\_19 v.1 - Estne domi Phyllis ? - Quis me vult ? Thestyli tune  
 PHYLLIS - THESTYLIS  
 2 hic aderas ? Quin ingrederis. - Non otia tempus  
 3 suppeditant. Vult vir frumenta extundere, fustem  
 4 jussa fero, quem potus heri a caupone referre  
 5 neglexit. Quod si mora fiat, forsitan in me  
 6 impingat fustem prius, iracundus et audax.  
 7 Nam quid ego hoc taceam ? Quod notum est omnibus. At tu  
 THESTYLIS - PHYLLIS  
 8 quaeso juva me consilio. - Quid consulis ergo,  
 9 quave in re ? Mea tu dic Thestyli. Non tibi deerit  
 10 illa meae qualiscumque est sapientia mentis,  
 11 Non operam patiar nostrum studiumque requiri.  
 THESTYLIS - PHYLLIS  
 12 Sed ne quis quicquam resciscat. - Dic age, nemo  
 PHYLLIS - THESTYLIS  
 13 audiet ex me aliquid. - Saevum et sine fine furentem  
 14 perversum, vanum, verbis rebusque ferocem  
 15 pagi odium pestemque domus, jam cogito tandem  
 THESTYLIS - PHYLLIS - THESTYLIS  
 16 deseruisse virum. - Quid narras quaeso ? - Quod Audis.  
 PHYLLIS - THESTYLIS  
 17 At mea tu, quod ais, ne feceris. - Obsecro quare ?  
 18 Non durare queo cum tali nupta marito.  
 PHYLLIS - THESTYLIS - PHYLLIS  
 19 Quod juvet ergo illum facies. - Cur ? - Liber ab omni  
 20 ipse metu gerere ut possit, quaecumque libido  
 21 forte tulit, carpatque tuos mox altera fructus,  
 22 ipsa bonis propriis postquam te ejeceris ultro.  
 THESTYLIS - PHYLLIS  
 23 Quid mea Phylli igitur suades ? - Mea Thestyli nil est  
 24 rebus in adversis animo melius patiente  
 25 fortiter ut quidque acciderit. Nam triste malumque  
 26 dimidio esse minus bona mens facit, An tibi soli  
 27 non recte esse putas ? Etiam me multa dolore  
 28 afficiunt. Hominum sic fert natura, ut ubique  
 29 et mala sint permista bonis, et tristia laetis,  
 30 et nihil inveniatur ab omni parte beatum,  
 31 istius in toto mortalis tempore vitae.  
 THESTYLIS  
 32 Sic, mea Phylli quidem humanorum ut copia major  
 33 inque loco inque omni sit condicione, malorum.  
 34 Sed meus estne ? Tuo quaeso qui gallus in horto  
 35 concutiens alas cantus ciet improbus ore  
 36 obstrepero absurdos, gallinarumque cohortem  
 37 seducit vagus, et vicinos inter oberrans  
 38 intempestiva multis est voce molestus.  
 39 Certe est ille meus. Quem tu nunc obsecro mecum

40 depellas abigens, quoties et deinde videbis  
 41 tuque omnesque tui inclament, agitentque fugentque  
 42 nec cures, ictu laedas si forte ferocem.  
 43 Namque mihi est animus tandem hunc remove, neque intra  
 44 quippe casam solet utilis esse, forisque nocere.  
 45 Sed nimis hic jam Phylli, diu, mea, cesso. Valetō.  
 PHYLLIS  
 46 Thestyli tuque vale. Et poteris si quando, redito,  
 47 cum neque opus neque formido remanere vetabit.

CORYDON. ECLOGA XX. LYCIDAS CORYDON.

LYCIDAS

E\_20 v.1 Dic mihi quaeso tui vicinus rusticus agri  
 2 numquid adhuc, Corydon. Scin quid memorare volebam ?  
 CORYDON  
 3 Idem est qualis erat. Cui nuper falce novellum  
 4 circum furtiva cedenti quaque salictum  
 5 deprenso, Damon, manifesto, quid facis ? inquit,  
 6 improbe. At hic fugiens evadere, fasce relicto  
 7 coeperat abscissis quem concinnare flagellis.  
 LYCIDAS  
 8 Haud esse improbitas petulansque audacia semper  
 9 fortunata solet. Deus et tandem ausa nefanda  
 10 cernit, et advertens animum ulciscendo coercet.  
 11 Sed nos hac, Corydon, potius bona verba loquamur  
 12 Luce bona, celebrentque Deum modo carmina nostra,  
 13 et prece magna vocent venerando numina, casta,  
 14 ingratae et sileant voces tristesque querelae.  
 15 Tuque age, semper enim in promptu semperque Paratum  
 16 carmen habes aliquod, silvestrem ordire Camenam,  
 17 hanc tenui mea Musa deinde sequetur avena.  
 CORYDON  
 18 Haec tua larga aeterne Deus bona, dextera praebet  
 19 tempore paciferae terras hilarante quietis :  
 20 vomere pressa gravi ut proscindens rusticus arva  
 21 cantu tractatus curvi soletur aratri,  
 22 aequatoque solo committat semina rastris.  
 23 Quae simul ut mandavit humo discedit, et anni  
 24 vertentis frumentifero sua praemia mense  
 25 exspectat navatae operae exhaustique laboris,  
 26 deducitque greges suos intra tegmina pastor,  
 27 laeta domique boves linquentes pascua servat.  
 28 Altera sed sunt haec tua clementissime dona  
 29 et benefacta Deus, segetem quod conspicit ille  
 30 qui consevit agrum demessaque grana recondit  
 31 ipse, neque haec fiunt alienae praeda rapinae,  
 32 saepe dedit quae damna mali vesania belli,  
 33 igne nocens ferroque et vastatrice ruina.  
 34 Hanc averte Deus, Deus optime Maxime pestem,  
 35 hunc Deus a nostris oris depelle furorem,  
 36 sementem, ut fruges, qui fecit, colligat idem

37 inque suam proprius custos pecuaria caulam,  
 38 inque armenta sui stabuli praesepe reducat.  
 LYCIDAS  
 39 Pace virent agri, pecudes armentaue gaudent.  
 40 Multa ovium viridi tunc errant milia campo,  
 41 noctu armenta redire boum properantia claudit  
 42 in stabulis custos, mulctrae tunc lacte redundant.  
 43 Jura vigent, legesque valent, dant laeta quietem  
 44 otia, Musarum sacris operata Juventus  
 45 doctrinae studet, et virtutis crescit honore.  
 46 Religio illustri exercetur splendida cultu,  
 47 totae urbes florent, pax est res optima rerum.  
 48 Hujus conjugium est, hujus cognatio, et hujus  
 49 liberi et affines, et opes, et corpora sana,  
 50 horrea frumentis, et vino haec dolia replet.  
 51 Jungit amicitiam, et commercia mutua servat.  
 52 Haec eadem agricolam saxis dura atque salebris  
 53 nutrit humo. Nihil arva absque hac cum pingua prosint  
 54 ipsa per arma suas tunc ducit aranea telas.  
 55 Tunc etiam inclusum exeditur rubigine ferrum.  
 56 Tunc sepelire solent nati plerumque parentes  
 57 effetos ipsi jam aetate et viribus aucti.  
 58 Non tunc caede viri pereunt, non tecta cremantur  
 59 hostili injecto manibus crudelibus igne.  
 60 Non tunc externis bona sunt civilia praedae  
 61 non vastatur ager. Tunc est imbellis et aetas  
 62 in tuto, et sexus. Non obstat tunc tuba somno.  
 63 Haec Deus o nostris, Deus, o largire diebus  
 64 commoda, perniciem dirique avertito belli.  
 65 Ne laceret vecors nostras discordia terras,  
 66 sanguineo aut mentes agitet Bellona flagello.  
 67 Cuncta Deo pacis te sint auctore quieta,  
 68 cunctaque propitio et te sint tranquilla benigno.

#### VOTUM SEU PRECES.

E\_21 v.1 Conceptas animo nuper pia carmine laudes  
 2 vota reus solvam, damnavit me tua, fili  
 3 Christe aeterne Dei aeterni, clementia voto.  
 4 Undique me circum streperet cum turba malorum,  
 5 morborumque lues, improvisique tumultus  
 6 vicina in patriae Martis regione furentis  
 7 enectaeque fame prius exhaustaeque tributis,  
 8 heu mihi quam saevae et tristes pestes et acerbae,  
 9 cunctaque divinae complexae nomina poenae,  
 10 qua tandem merito laxans ulciscitur iram  
 11 justitia, Deus, assuetum superante favorem :  
 12 tunc ope defectus, tunc spe desertus ab omni  
 13 te prece solliciti cordis trepidante vocavi,  
 14 multiplice et gravium curarum pondere fessi,  
 15 Christe hominum generis custos auctorque salutis,  
 16 totius et cujus propria est possessio mundi,

17 et data cui caeli est omnis terraeque potestas.  
 18 Tu faciles nobis praebens orantibus aures  
 19 protexisti inopem auxilii dextramque dedisti  
 20 impulso, et vita incolumis resque integra mansit  
 21 nunc quoque propitio te nostra tuente paterna.  
 22 At tuus, o sedes Franconidos, incola, gentis  
 23 prisca recens veteris, quae Wurti nobile purgi  
 24 e re nomen habes, urbs Bacchi munere dives,  
 25 deque fluente uvis compressis incluta musto :  
 26 fata sua et patriae luget deflendo ruinam.  
 27 Haec mihi, qui nuper te, Noricoberga, relicta  
 28 venissem ad generis tunc incunabula nostri,  
 29 Regnessi fit ubi scisso insula flumine, pontes  
 30 et duo congressus praestant. Ubi Caesaris exstant  
 31 Heinrici monumenta pii, pavonis in urbe,  
 32 Teutonicum unde tuum nomen, Pabeperga vocatum est,  
 33 ortus terra mei majorumque ordine retro  
 34 longaevo, et multos annos numer ante meorum :  
 35 viribus atque viris opibusque aliquando potens urbs,  
 36 floruit et laudabilium in qua copia rerum  
 37 de caelo donec flagravat curia tacta,  
 38 seditio et reliquos incidit concita nervos.  
 39 Haec igitur tunc sunt comperta haud illa timentis,  
 40 nuntius indignae cladisque exterruit omnes  
 41 Et fama admista veris formidine falsa  
 42 non ignavorum fregit quoque pectora. Qui tunc  
 43 urbe pavor tota ? Quae consternatio ? Quanta  
 44 sollicitudo suas fortunas eripere hostis  
 45 immitis manibus vastatricisque rapinae ?  
 46 Nec jam tabifici morbi, nec laetifer annus  
 47 amplius urgebant ullos, quamquam sua passim  
 48 funera per totam tunc urbem vicus habebat  
 49 omnium et iste animos dudum pervaserat angor.  
 50 Nam senibus mistos juvenes puerisque puellas  
 51 efferri, et patribus matres, condique sepulchro  
 52 cernere erat. Quin et quos haec formido fugarat  
 53 expuleratque domo mortis timor, altera rursus  
 54 ad desolatos revocabat cura penates,  
 55 rerum aliquid possent tamen ut servare suarum.  
 56 Nemo oculis somnum nocte illa vidit. Ubique  
 57 lumina, discursus, fremitus, labor, horror ubique.  
 58 Nec spatii sat erat, quae vellet quisque, parare,  
 59 incertique animum commotum impellere sensus,  
 60 arripi et id sors obtulerat quod cuique, vel ante  
 61 sepositum eximiumque et prima quis inter habebat.  
 62 Nocte suum luna illa etiam compleverat orbem,  
 63 umbraque conatus sublustris et acta juvabat,  
 64 cum rutilante suum miscens face luna nitorem,  
 65 quam se Phoebe tibi opponens Mars anteferebat  
 66 horribilis fulvo stellae splendore minacem.  
 67 Atque subobscura me cuncta in luce videntem,  
 68 et strepitu excitum crebro et clamore paventem,  
 69 vecturaeque sonis exportantumque fragore  
 70 suspensum, si non fatear trepidasse, periculo  
 71 perculsum tanto, tunc et mea corda timore  
 72 icta gravi tremuisse, mihi et metuisse meisque :

73 mentiar, et fictae quaeram virtutis honorem.  
74 Nam meum et ingenti stupuit formidine pectus  
75 quod genito mihi molle datum est, et cura dolorque  
76 concessit nobis nullam exagitando quietem.  
77 Quid facerem ? Neque me naturae finxit ad arma  
78 expedienda habitus, neque me studium atque voluntas  
79 ad pugnas placidum instituit rixasque cruentas.  
80 Tempus erat Phoebus caeli quo templa peragrans  
81 ante Nepae partes descripti limitis octo  
82 nomine per Librae juga, sed re Virginis astrum  
83 inveni, et autumnus primum concludere mensem,  
84 consequitur quae lux octobres postera Nonas :  
85 tunc ergo nostris rebus patriaque relictis,  
86 nondum luciferi jubare apparente, recedo  
87 me nato comitante, domo egrediorque paterna,  
88 nondum animi quoque certus iter quo tendere vellem.  
89 Et jamjam plerique hostem adventare ferebant.  
90 Ac porta exieram firma custode secunda,  
91 qua via Saxonicos directa abducit in agros,  
92 hic venit in mentem ad dextram deflectere cursum,  
93 et petere antiqui montanae sedis amici  
94 tecta, ubi destracti immerito vestigia Paesti  
95 propter habet positas alias jam Phorcus aedes,  
96 Phorcus ille suae decus et jam clausula gentis,  
97 gentis qua vel prisca magis vel nobilis exstat  
98 vix alia in totis montanae Francidos oris.  
99 Huic me olim studii ingenui puerilibus annis  
100 conciliavit amor, totoque hunc tempore firmus  
101 mansit adusque diem lustris bis quinque per actis.  
102 Qui me dum quamvis aeger complectitur omni  
103 prompti animi studio, cupientem et abire moratur,  
104 ecce meam patriam captam quoque nuntius affert,  
105 atque ea mox tota fama hac regione vagatur,  
106 ulteriora loca et velox rumoribus implet  
107 tristibus ante alios nobis, captae Pabepergae.  
108 Sed Deus huc stragem non est procedere passus,  
109 et Moeni solam consistere jussit ad urbem.  
110 Et tua meque meosque tegens miseratio tutos  
111 praestitit, implorate Dei Christe unice fili.  
112 Ast aerumnarum moles miseram obruit urbem  
113 Moenida, direptasque domos et funera plorant  
114 non quoque nulla inopes rerum, pars maxima, cives,  
115 interfectorum crudeli caede suorum.  
116 Te nunc, te infelix tetigere atrocis fata,  
117 tu nunc tu prostrata jaces, et nuda requiris  
118 antiquum decus et priscae splendoris honorem,  
119 vitiferi et collis te Baccho petra celebris  
120 nunc etiam frustans dulcis sua munera fructus  
121 nulla, aut nullius momenti evanida reddit.  
122 Quicquid erat magno longoque labore virorum  
123 partum, ac feminea servatum industria et arte,  
124 quae subolis spes educendae : una abstulit hora,  
125 abstulit externas quoque opes, ut forte diebus  
126 illis solemnis fuerat mercatus in urbe.  
127 Quid querar aut dicam ? O saeculi inclementia nostri,  
128 o mores, o praesentis vesania vitae,

129 urbs aliquis calcat quoque te miseranda jacentem,  
130 insultatque tuis spoliis et vulnere gaudet,  
131 nec videt ultorem, post se caput extollentem,  
132 stare Deum atque aliis damna accumulare aliorum.  
133 Quae tamen insanae haec tempestas saeva procellae  
134 quis fuit et subitus ceu fulminis impetus iste ?  
135 Tam lacrimabilium fuit et quae causa malorum ?  
136 Quinam hostes, quis dux, quis miles ? Copia qualis ?  
137 An nullus metus, urbs infelicissima, nulla  
138 custodum vigilumque cohors in te fuit ? An nec  
139 ingressas annem turmas conspexit equestres  
140 moenia radentem quisquam ? Praesto affuit illic  
141 jampridem dubio ac infido tempore nemo ?  
142 Dum portam reserant pedites ferroque refringunt.  
143 An segura quies fuit, an neglectio tanta,  
144 contemptusne ille hostis, an haec fiducia causae ?  
145 Credibile est lapidum jactu hos potuisse repelli  
146 temptantes aditus, atque in praedas inhiantes.  
147 Quis tamen insidias struxit, vimque attulit istam  
148 occulte, fossis et cinctae moenibus urbi,  
149 sique ferat fortuna, haud defensoris egenti ?  
150 Mens hebet et tenebris animus caecatur obortis,  
151 atque loqui conantis adhaeret lingua palato.  
152 Quid memorem ? Video nil, nil discernere possum,  
153 ni quod ego has irae meritas intelligo poenas  
154 esse Dei. Quas nostra suorum oblita bonorum  
155 et quae dona tributa sibi sint immemor, aetas  
156 jam luere incipiat. Neque enim hoc mala fine quiescent,  
157 impendentque istis graviora et deteriora,  
158 et magis exitiosa. Volans dum emersa cavernis  
159 Tisiphone Stygiis toto agmine cincta sororum  
160 incenditque odiis mentes, animisque venenum  
161 instillans vertit sanos in pectora sensus,  
162 et rabie fera corda ciens impellit ad iras  
163 mortiferas. Non jam generis, non sanguinis ullus  
164 respectus, confusa jacent sacra atque profana,  
165 vi jus oppressum, vitiis est obruta virtus,  
166 turpia nilque loci reliquum inter restat honesto.  
167 Nullus peccatis obstat pudor. Omnia fas sunt  
168 quae modo cuique libent. Verum, pietasque, fidesque  
169 interiire, vigent mendacia, perfida mentis  
170 atque oris levitas, veneratio vana, priores  
171 nec retinens cultus sanctos ritusque sacrorum,  
172 seriaeque admistis depravans dogmata nugis.  
173 Quin etiam videas, tanta est audacia, verbum  
174 prolatum ore Dei aeterni corrumpere quosdam,  
175 proque illo proprii commenta inducere sensus,  
176 atque suis hoc conciliare affectibus ipsum.  
177 Quis labes jam, quaeso, suas considerat, et non,  
178 ignoscens sibi, in alterius se crimine jactat,  
179 exacuitque mala obtrectantis spicula linguae ?  
180 Ergo Dei cultu sublato hominumque timore  
181 quis modus esse potest sceleri ? Quae cura resistet  
182 flagitiis ? Ratio quae dissuadebit iniquum ?  
183 Officium praestare docens, vitaeque tenorem  
184 ad normam recti conformans, regula mores

185 ut fingat nullo pravi mendosa reflexu,  
186 dura libidinibusque innectens vincla protervis,  
187 atque superba domans, spurca et petulantia frenans,  
188 luxuriamque, vias claudendo cupidinis, arcens.  
189 Parcere sed poterant sibi cognati atque propinqui,  
190 arma nec in proprium distringere mutua corpus,  
191 nec violare Laremque suum et convellere nidos,  
192 atque aperire viam, veniens qua barbarus hostis  
193 intret, et inducat sua planis agmina campis,  
194 qua vel Sol oriens tenebras noctemque repellit,  
195 vel riget ad septem tellus conversa triones.  
196 Horum etenim tempus jampridem quaerit uterque  
197 quo distractum odiis intestinoque, furore  
198 quassatam, et proprii belli civilibus armis,  
199 viribus inque suis sese, Germanida, versis  
200 occupet, et captam penitus sua sub juga mittat.  
201 Sic regno saevam crescente tyrannida firmans.  
202 Non secus ac clauso lupus insidiatur ovili  
203 circum saepta obiens aditusque per omnia lustrans,  
204 si qua forte labet paries rimisve fatiscat,  
205 sive canum dispersorum custodia cesset.  
206 Quod si aliquam plagam vel vis furiosa vel error  
207 impegit stolidus vobis, quin saucia quae pars  
208 est, illam sanare juvat ? Non dilacerando  
209 amplius afflictum prorsus corrumpere membrum,  
210 aut etiam rabie insana miseram simul ipsam  
211 vulnere confectam crudeli perdere vitam.  
212 Infertis, videt hoc an nemo ? Manus violentas  
213 vos ipsi vobis. Vestrum strictus caput ensis  
214 iste petit, tingit cervix hanc vestra securim  
215 sanguine pollutam gentili. Sensus abesse  
216 an calida manante potest de vulnere tabo ?  
217 Quos ego nunc de te usurpem Germania questus ?  
218 O decus Imperii quondam Germania sacri,  
219 quo nunc res etiam fulcitur publica solo.  
220 O patria, o veterum domus illustrissima regum,  
221 clade tua lacrimas potero quas fundere dignas,  
222 quae lamenta tuos aequabunt nostra labores ?  
223 O miseram, vel nunc vatam praedicta priorum  
224 te, si vis audire, monent, vel si tibi clausae  
225 sunt aures quibus accipias praecepta salutis,  
226 non tamen ignarae exitium monstrasse ferentur.  
227 Nam te sola Ducum levitas, occultaque perdet  
228 invidiae pestis, simul et mens utilis expers  
229 consilii atque boni, subjectorumque recusans  
230 imperii jussum improbitas, oblitaque juris  
231 jurandi, et fidei ruptis jam libera vinclis,  
232 et nimia instabili concessa licentia vulgo.  
233 Haec cecinere tibi veteres, Germania, vates  
234 invicta externo quantumvis Marte potente  
235 et tantum metuenda tibi. Tu sola tuarum  
236 aerumnarum atque interitus tibi causa futura es.  
237 Tu, quo contruncata cadas, fabricabere ferrum,  
238 tu, quae structa tuos evertat machina muros  
239 ipsa parans statues, discrimina sola tibi abs te  
240 impendent foedi exitii turpisque ruinae.

241 Et nunc complentur numeris fatalibus anni,  
 242 multiplice in sese terno, mox deinde redacto  
 243 in quadrum, et deinceps hinc exstructo aggere cubi,  
 244 unde etiam trini augmento de principe trino  
 245 planities quoque quadratur, reciditque vicissim  
 246 ad fundum illius spatii, quod claudere semper  
 247 aequales acies tres consuevere duabus.  
 248 Quae celebraverunt doctorum scripta virorum  
 249 tempora, fatiferis eventibus apta notandis.  
 250 Heu mihi, num bona te laedunt tua, jamque gravaris  
 251 pondere felicis sortis, non provida casus ?  
 252 Nec te propitii donis male pluribus uti  
 253 jampridem male grata, Dei, pudet. Actaque dira  
 254 te rabie petis ipsa tuis immaniter armis,  
 255 inque malum bona convertis ? Nihil est nihil usquam  
 256 difficile insolitumque magis, quam ferre secundas  
 257 aequo res animo, neque delirare fruendo  
 258 in vera ratione bonis. Non jam tibi desunt  
 259 ingenia artificum, non altae moenibus urbes,  
 260 publica visuntur simul et privata opera, aedes  
 261 praeclare exstructae atque ornatae intusque forisque.  
 262 Nulla etiam luxus nunc instrumenta requiris,  
 263 importatque tibi vestes exotica tellus  
 264 materia egregias, pretiisque ingentibus emptas :  
 265 at mediae mare piscatum mittit. Tua sordet  
 266 jam tibi multiplicis dudum vindemia montis,  
 267 externa et structis apponis pocula mensis  
 268 argenti praeclara atque auri pocula signis,  
 269 Rhaeticae et Ausoniae Cressaeque et Iberidos uvae.  
 270 Faginus est nusquam modo, qui scyphus ante solebat  
 271 cum populari epulas priscas astare Lyaeo.  
 272 Deliciis aliisque redundas, et tua rimans  
 273 viscera divitias reperis cogisque repertas.  
 274 Haec tibi virtutis nimirum copia curam  
 275 excutit amplificam lucri non laudis avarae,  
 276 et sese tantum affligendi robore forti.  
 277 Quid quod et in te sunt sapientia et ingenua arte  
 278 doctrinaque viri praestantes ? Cuncta sed unum  
 279 haec superat : vera instauratio relligionis,  
 280 et monstrata quibus tua sancta Ecclesia, Christe,  
 281 deformata tuo se indignam nomine praebet,  
 282 tam variis longo polluta erroribus aevo :  
 283 et vitia abjecto tandem repraehensa timore,  
 284 ille vel hic quicquid parti assentando loquatur  
 285 alteri iniquus utri, aut, sicut fieri solet, aequus.  
 286 Quid refert ? Monitus paucorum corda salubres  
 287 si tangunt perversa atque irascentia Vero,  
 288 et rapidi si verba ferunt frustra edita venti.  
 289 Heu mihi quae species, quae nunc apparet imago  
 290 illius eximiae praecellentisque decore  
 291 sponsae, Christe, tuae ruga maculaque carentis ?  
 292 Quam lux ista obscura nitet ? Ceu nubibus olim  
 293 solis ubi tegitur nigrantibus aureus orbis.  
 294 Aut quam rara micant argenti granula puri  
 295 implicat aspersa quae scoria plurima sorde.  
 296 At te, proh dolor o quam ferramenta, columna,



297 quae sacri fulcis caelestia dogmata verbi,  
 298 saeva petunt ? Avida aeternum percellere Verum,  
 299 in terris quod tu sustentans sola tueris.  
 300 Sed quoniam propriae est manifesta offensio culpae  
 301 et peccata gravant aetatem ingentia nostram,  
 302 et justam accelerat scelerata audacia poenam :  
 303 sola datur nobis, a qua sperare salutem  
 304 fas sit, propitii nullo clementia fine  
 305 progrediens, immensa Dei, caelum, mare, terras  
 306 perpetuo complens, collata pace, favore :  
 307 nobis, qui colimus te, sancte Deus, venerantes  
 308 qua nos relligione tuo sermone jubemur :  
 309 sancte, potens, aeterne Deus, Deus optime et idem  
 310 maxime, juste, sed et mitis, miserisque benigne,  
 311 invicte, omnipotens. Qui cum nato pater, et cum  
 312 egrediente simul sancti unus numine flatus  
 313 regnum, Magne, tenes cunctis durabile saeculis,  
 314 saecula, Deus, numero quae deinde carentia volvent,  
 315 innumerabilibus saeculis eadem prius aucta.  
 316 Supplice nunc igitur prece te vox nostra fatigat,  
 317 ante pedesque tuos humilis prostrata jacet mens  
 318 delicti veniam implorans et numen adorans  
 319 solius, auxiliumque et opem discrimine poscens  
 320 in tanto fortunarum simul atque salutis.  
 321 Nos alienatum perversi cordis habemus  
 322 et merito infensum studiis te, sancte, malignis.  
 323 Gloria, laus et honor tibi, probrum, infamia, crimen  
 324 debetur nobis. Patimur quae, ea cuncta profecto  
 325 jure pati, et meritos quoque deteriora fatemur  
 326 nos esse, atque etiam nunc non cessare mereri.  
 327 Inque nocens aliquis, quamvis videatur, et insons  
 328 cum sit nemo tamen te iudice : Nos quid agemus ?  
 329 Conscia flagitii et sceleris quos pectora damnant  
 330 multiplicis variique. Ubi consistemus in irae  
 331 justitiaeque tuae sensu, mala et impia turba ?  
 332 Perfugium quod quaeremus ? Bonitasque fidesque  
 333 perfugium nobis certum patet. Hae moderantur  
 334 justitiae, esse jubent et mansuetudine summa  
 335 nos, Deus alme, tua, Deus o mitissime, fretos,  
 336 in te nostra igitur solo spes fixa resistit,  
 337 confisosque tibi numquam nos esse pudebit.  
 338 Tu nos eripiesque malis praesentibus, aequae  
 339 nobis, quae impendent etiam pejora repelles.  
 340 Jamque aures precibus nostris, Deus alme, patebunt,  
 341 o Deus alme, tuae, postquam inclinaveris illas  
 342 ad nos orantes veniam et peccasse fatentes.  
 343 Tunc tua dextra teget nos tunc hostilia tela  
 344 obicies contra clipeum, tunc moenia circum  
 345 firma dabis, ne vis nobis inimica nocere,  
 346 neve qua fraus neu nos injuria laedere possit.  
 347 Praesidium, postquam sunt infesta omnia, solum,  
 348 te solum turrim, quae nos tutetur, habemus.  
 349 O nos magne potensque Deus, nos protege, dextram  
 350 clementem opponens proque arma hostilia pulsans,  
 351 atque illos, qui nec metuunt te nec venerantur  
 352 inque ruunt scelerum grassante furore, refuta,

353 et conservatis nobis concede quietem  
 354 pacificam : nobis prima in te ab origine vitae  
 355 qui sumus et gravidae projecti matris ab alvo,  
 356 nostraque quo solo fiducia nititur omnis,  
 357 en tua per mundum hunc Ecclesia sancta senescit,  
 358 ne tu destituas opis hanc modo maxime egentem,  
 359 undique dum insultant hostes timidaeque minantur  
 360 exitium, effetoque infirmam corpore vexant,  
 361 consilio exiguum capto prosternere coetum,  
 362 et parvum vastare gregem : Quem jam, velut aiunt,  
 363 custos palantem pastorque suos videatur  
 364 deseruisse Deus. Ruite irruite insectantes,  
 365 qui defendat adest nemo. Jam sola vagatur  
 366 auxilio ista caterva carens, certissima praeda  
 367 in nostras ventura manus. Pedes hinc, eques illinc  
 368 adde gradum. Quid adhuc, nostra est victoria, cessas ?  
 369 Talis Jessaides nobis est carminis autor.  
 370 Tales ille preces turbato pectore fudit,  
 371 tales subiciunt afflictis tempora nobis,  
 372 quique pericla videmus adhuc quam grandia restent.  
 373 Namque utinam hac ierit fluctus tenuis iste. Utinam sit  
 374 perpetiendorum nobis haec summa malorum,  
 375 nec modo venturae sint ista exordia cladis.  
 376 Addere sed reliqua his quoque convenit. At Deus o tu  
 377 a nobis ne jam absistas longeque recedas.  
 378 Atque angustarum tanto in discrimine rerum  
 379 succurras sese tibi qui committere totos  
 380 non dubitant. Cadat hosti animus pudeatque fugacem  
 381 incepti, et quaerat te profligante latebras,  
 382 qui modo terrebat pavidorum corda superbus.  
 383 Nunc adiutorem sibi te spes nostra reservat,  
 384 in te nunc etiam fiducia permanet haerens  
 385 de tenui quamvis pendens haec languida filo.  
 386 Ac salvi incolumesque tuae jam carmina laudis  
 387 pangere, victricis jam facta ingentia dextrae  
 388 decantare juvat te glorificantibus hymnis,  
 389 perpetuo grati celebrans ut praedicet oris  
 390 lingua memor data quae bona sunt ingentia nobis  
 391 munifico tribuente tuo, Deus alme, favore,  
 392 mensura numeroque carentia, quis neque chartae  
 393 quantum est, sufficiat perscribere cuncta volenti,  
 394 nec calami toto quotquot nascuntur in orbe.  
 395 Judicium, Deus, est rectum tuum et undique verum  
 396 solius, hoc primis novit perdoctus ab annis  
 397 unicus ille tuus populus, dediscere numquam  
 398 qui solet atque potest obliviscendo recondens,  
 399 nuntiat atque aevo, te subjiciente, futuro  
 400 quod decus et quae justitia et sit quanta potestas  
 401 magnifici aeternique Dei, cui nil simile exstat,  
 402 qui temptare animos saepe affligendo suorum  
 403 et paene assuevit morti demittere, ut inde  
 404 ad vitam ex imis revocet telluris abyssis,  
 405 maestaque depulso soletur corda dolore.  
 406 Copia tunc superat tolerata adversa bonorum,  
 407 tunc sensus mali abest, vincuntur tristia laetis.  
 408 Carmina tunc hymenque sonant, citharaeque lyraeque

409 tunc promissa canunt veracis et omnipotentis  
 410 propitiique Dei, cujus clementia salvos  
 411 esse suos praestans ignominiam addidit hosti  
 412 defendens se omni servando tempore fretos.  
 413 Haec in curarum luctantis pectoris aestu,  
 414 praeteritis maerens, deflens praesentia, et illis  
 415 deteriora timens deinde eventura, canebar  
 416 de prima patria : Quae sancta Ecclesia nobis  
 417 Christe tua est, in qua cives baptismatos undae  
 418 nos fecere tuos, et sanctus spiritus unis  
 419 salvifici juris devinxit legibus omnes :  
 420 sollicitusque pavensque imprimis : Et simul ejus  
 421 deplorans, quae me genuit majoribus ortum  
 422 annorum retro non paucorum ordine notis,  
 423 tandem et communis patriae Germanidos, heu quam  
 424 tristia, quam lacrimis, votis, precibusque piorum  
 425 digna, in felice hoc instantia tempore fata.  
 426 Quod si regnorum compages dissoluantur,  
 427 direptaeque cadant destructis moenibus urbes,  
 428 et regio injecto circum tota ardeat igne :  
 429 conservare suos Deus et sic vultque potestque.  
 430 Seu placet in medio tutos fervore malorum  
 431 praestare, ut quondam pueros flammante camino  
 432 Hebraeos. Sive eductos alibique locatos  
 433 commotis prohibens demergi fluctibus, illos  
 434 non laedi sinit ereptos e faucibus orci,  
 435 eque dolorificis cunctis eventibus : ut quem  
 436 caelitus incensi delapso sulphuris imbre  
 437 seductum legimus terra e Sodomitide Lothum.  
 438 Haec igitur mihi, itemque aliis haec omnibus : omnes  
 439 quippe pericla petunt, ut nondum forte propinquent  
 440 damna, nec oppressos sortis vis dira fatiget :  
 441 distracta curis faciebam carmina mente,  
 442 parva his absumens viles dispendia chartas.  
 443 Tunc Camerariades studiorum Lipsidos urbis  
 444 otia non operis non cassa labore colebam,  
 445 inter ego Musis alios quota pars operatos  
 446 sustentans artisque bonae et virtutis honorem,  
 447 pro tenui nostra sed eadem parte fideli.  
 448 Quem tu conventum proprium tibi, Christe, dicatum  
 449 Fili Christe Dei vivi unice, quaeso tuere,  
 450 et servire tuae fac cuncta in saecula laudi.

CAROLUS SIVE VIENNA AUSTRIACA. ANNO CHRISTI M. D. XXXII.

E\_22 v.1 O deplorati numquam satis aspera fati  
 2 fortuna in nostrum grassas caput, ecquid in ullo  
 3 tandem fine tua insistet vis : ecquid erit cum  
 4 respicies Gentem placato Christida vultu ?  
 5 Te voco fortunam Magni quam patris aperta  
 6 irrevocabilibus pandunt dictamina chartis,

7 quamque volutatam infinito numina produnt  
8 consilio. O tandem Deus, o Deus ad tua tandem  
9 aspicias bona : Quae nunc dissipat hosticus ensis.  
10 Praecipue namque haec tua sunt, ubi tradita primum  
11 scripta tui doctrina recepta est sanguine nati.  
12 Cur patitur tua vastari clementia sedes  
13 ulterius placitas hostilis Marte cohortis :  
14 infestaeque tibi pater infestae et tibi fili  
15 sancte tibi et numeri flatus perfectio trini.  
16 Quid primum memorem ? Quid postremum ? Omnia supra  
17 invaluere modum mala, nilque accedere posse  
18 cum speres, tum vix coepisse exorta videntur.  
19 Nuper erat, neque enim longum est nimis, intolerandum  
20 occubuisse crucem Graium quam beta notatam  
21 quadrifido gilvis distinguit margine punctis,  
22 Pontica quam tulerat Byzantii insigne Trapezus.  
23 Sed non dira Asiae modo in urbes Turcica pubes  
24 invasit, domuitque opulenti maxima mundi  
25 regna, ubi prorepsit petulans Bithynide Prusa,  
26 sed Cilices etiam et Tauri juga vasta colentes  
27 cepit, et Armenias levis est invecta sub oras,  
28 Cappadocumque insedit agros Pamphyliaque arva,  
29 et juga Paphlagonum, et Pisidum campestris rura.  
30 Et Croesi antiquum imperium, qua Lydia praeter  
31 jugera scruposa fluit Hermus fertilis unda,  
32 et Phrygiae campos ubi priscae moenia Trojae  
33 Tyndaridum pressit bello manus incluta regum,  
34 Ioniae et veteris, terrae et loca opima Cairae,  
35 Aeolidosque sinus. Et quas Aegaeia cingunt  
36 aequora tellures. Cyprum haec invasit ab ira  
37 Numinis orta lues. Euboeaeque arva beatae,  
38 et claram evertit Rhodon, et Lesbo dominata est.  
39 Tunc, neque enim cupidae mentis vesana quievit  
40 ullo fine libido, et in Europam intulit arma  
41 per breviam ingrediens freta Bospori et Hellespontum.  
42 Sed tamen unde et quam misera haec ab origine pestis  
43 repserit, et tanto processu invaserit orbis  
44 in loca totius cultu optima, vertere nostram  
45 ante querelam aequum duxi. Neque non tamen auget  
46 sortem hoc indignam, servilia corpora tantum  
47 Imperium obtinuisse. Et nunc late omnia duro  
48 servitio premere, adductisque inflectere frenis  
49 emersa e Scythicis lacubus, Muliebribus ante  
50 accersita ad concubitum parentia jussis.  
51 Feminea ad talos tunica levibusque veredis  
52 et tenui volucris ferro contempta sagittae,  
53 tum contempta ubi virtutis decorisque manebant  
54 reliquiae quamvis modicae. Nunc turpia pulsus  
55 quippe tenent illis, regnum. Discordia tantum  
56 corda ciere malum et potuere inducere pestem.  
57 Sed tamen hunc quondam a nobis objecta furorem  
58 arcuit, atque Asiae loca jussit obire Propontis,  
59 cum Cateuczana infelicis factio belli  
60 in sese rabidos iratam obvertere rictus,  
61 sanguineosque feram fecit distringere dentes.  
62 Atque ita telluris capta haec dulcedine Graiae

63 paulatim insedit pergens, dum protinus omnem  
64 sub juga barbarici traxit turba impia regni,  
65 quo sub nunc antiqua gemit Tritonidos ora,  
66 unde humana putant jura et commercia nata,  
67 inventrix vitae opportuna cultibus artis.  
68 Thebanumque solum, et sacratae Phocidos arva  
69 et campi Aoniae lugent. Silet Arcadicae vox  
70 fistulae, et in silvis Echo se muta requirit.  
71 Hoc agros monstrum et vastavit Achaeidas urbes,  
72 armaque Doriacis fregit celebrata tropaeis,  
73 insula ubi Pelopis cognomine cingitur undis  
74 aequoreis, bimarique patens excurrit ab Isthmo,  
75 quondam invicta viris tellus, dum sancta Lycurgi  
76 Spartanos morum et legum dictata regebant.  
77 Nobilem et Epirum palma olim cepit equarum.  
78 Hic et in Aetolos obvertit castra superbos,  
79 victricique manu domuit progressus equestrem  
80 Haemoniam et priscorum laude celebria quondam  
81 Thessala Peneo viridantia flumine Tempe,  
82 huic victi Thraces etiam Mavortia proles  
83 et Macedum paret natio, dumque omnia nuper  
84 Christide dissidiis et bello in gente laborant :  
85 Constantine tuam posuit sibi Barbarus urbem  
86 ille sui sedem regni, vicinaque late  
87 percurrit loca, Bulgariamque Averagesque Dacasque  
88 Illyricosque sinus. Hujus vim Dalmata sensit,  
89 cladibus attriti crebris sensere Liburni.  
90 Quin et Noricia praedas ferus egit ab ora.  
91 Interea loca sunt Asiae huic integra relicta  
92 nulla, et in ante suos dominos sese intulit, eque  
93 Soltanum imperium vertit, veteremque subegit  
94 cum Sidone Tyrum, et Syriae claram Antiochiam,  
95 inque Palaestinos Arabasque potentia torsit  
96 telaque Niloos oppressit Marte colonos.  
97 Quid memorem te, parva quidem et cincta undique saevis  
98 hostibus o mater tantorum magna virorum  
99 gente Cananitis Judaea sorte subacta :  
100 o dilecta Deo prae terris omnibus una,  
101 cui debere illi natalia tempora visum  
102 unigenae nati, quo sunt auctore salutis  
103 parta bona humani generis. Qui vivit et absque  
104 cum patre et sancto regnat spiramine, fine.  
105 Sed nos ad propius nobis vulnus veniamus  
106 quod tractare manus tremit, et mens horret, ita ingens  
107 atque ita se visu foedum spectantibus offert  
108 quod crudelis abit rabies violenta tyranni  
109 Pannoniae infligens miserae nunc, o miserae nunc,  
110 sic miserae ut quondam felix fuit. Illa et ad ipsam  
111 Austriacam usque lues pervenit dira Viennam.  
112 Quis cladem illius fando quis funera belli  
113 enumeret ? Flamma et ferro quacumque mearet  
114 fecit iter, genitrix confossos cernere natos  
115 vimque coacta pati vique ipsa occumbere letum.  
116 Praecisa alterius saliit de pectore mamma.  
117 Alterius patuit perfosso abdomine venter.  
118 Quae sed in innocuo vis aut injuria sexu

119 non temptata fuit ? Saltem has luet impia gentis  
120 colluvies. Deus haec Deus ipse haec puniet ausa,  
121 tunc capita et totos, visu miserabile, truncos  
122 saepibus affixi aut hastis fudere cruorem,  
123 nil praetermissum est sceleris. Tremefacta Vienna  
124 impete fulminei subjecto pulveris, inter  
125 spemque metumque suam vix est tutata salutem.  
126 Dextera quod toti nisi formidabilis orbis  
127 protegeret Caroli cives ope Caesaris orbos,  
128 quis scit an ille etiam huc grassatus Mars Alemannos  
129 non vicina magis sortitos flabra Aquilonis  
130 pergeret et Francos sibi subque jugare Suebos,  
131 sed tua succurrit Carole o tua dextra labori  
132 caelestis dextra auxilii suffulta favore.  
133 Si tamen est, quamvis sero, fas vera fateri,  
134 non dedit ille mala haec nobis et damna tyrannus,  
135 sed nunc, ut quondam te gens Hebraea parentem  
136 deseruit Deus, et meritorum oblita tuorum  
137 a te discedens sceleri servivit, ita omne  
138 in facinus reges et subdita turba ruentes  
139 neglexere viam virtutis, et undique sese  
140 flagitiis etiam pulchrum implicuisse putarunt,  
141 haec inflixerunt nobis cruciabile vulnus,  
142 Nostra quod ulterius serpens ignavia fovit.  
143 Permutata imis sunt summa, neque ulla magis jam  
144 rebus in humanis manet insubversa priore  
145 condicio, non ordo loco. Quid fraude malaque  
146 relligio, quod nunc est victa superstitione :  
147 unde est improbitas vitam deducta per omnem  
148 et squallet mundus vitio obrutus, edere cujus  
149 nomina cumque mali libeat jam nulla requiras.  
150 Quae memorare piget. Sed quid si forte favor nos  
151 respiciat posita felicitis numinis ira,  
152 quamvis multa vetent sperare, et forte tamen si  
153 unanimem ducibus tribuat conjungere sensum  
154 et scelus et contra ultricem facta impia mentem,  
155 atque animum ante suis ponat qui publica rebus,  
156 qui jus et rectum colat et procuret honestum,  
157 vim tollat scelerisque nefaria puniat ausa,  
158 quis magis optatus votis obtingere posset  
159 Dux Carolo : ut quondam Gedeon, Samson, Iosuhas  
160 gentis et Isaides Judaeae gloria regum  
161 quique alii, neque enim cunctorum nomina parvo  
162 exposuisse queam libro, dextraque animoque  
163 ingenti ac forti hostiles fregere cohortes,  
164 quae petiere tuum populum Deus, ut petit illa  
165 nos populum tuum, habetque patentem belua fauces  
166 degluttire parans insignem nomine Christi.  
167 O utinam illa dies tantorum causa bonorum  
168 orta sua in roseis ostendat lumina bigis,  
169 mortali voto turbae exoptata frequente.  
170 Tunc ego, quicquid ego possim, neque enim Deus esse  
171 pauperis ingratum patitur sibi munus honoris,  
172 ad citharam laeta resonabo voce Latinam  
173 grates maxime agens tibi Rex Deus optime regum,  
174 effundam et prompto celebrans invicte triumphos

175 Caesar mente tuos, interque ingentia facta  
 176 non inopes defecta requirent verba Camenae.  
 177 O mihi sint rebus super his vitalia lucis  
 178 Tempora laetificae, ferat hanc miseris cito terris  
 179 Numen opem vertatque oculos ad nostra benignos  
 180 vulnera, et admota sanet putentia dextra.  
 181 Hoc oro, mecum hoc omnes orate bonarum  
 182 ex animo rerum, et sanctae virtutis amantes.

TUNETE. CAROLUS SIVE TUNETE. ANNO CHRISTI M. D. XXXIII.

E\_23

v.1 Quid qui indefessis decurris in aethere bigis  
 2 desuper et terrae lustras loca Phoebe patentis  
 3 unde oreris, mediique nites ubi culmine caeli :  
 4 Oceanique subis vasti lacum, et inde revertens,  
 5 cymbio in exortus veheris radiante priores,  
 6 quid melius cernis Carolo, aut quid Caesare majus ?  
 7 Aspice, nam nil te fugit, aspice Phoebe. Quid ergo  
 8 tale vides ? A quo metuit perterritus orbis,  
 9 Imperiumque tremunt scelerati, quique fuere  
 10 exitium pestisque bonis, nunc forte suarum  
 11 mutata satagunt rerum, quaeruntque latere  
 12 vi captae loco in angusto regionis iniqua.  
 13 Quam tulit ille diu, quam non est ultus, et omnes  
 14 sustinuit quasi sopitus patientibus ausus  
 15 hostiles animis, quos tandem excitus apertis  
 16 aspiciens oculis sese ipse recolligit, inque  
 17 majorum revocat mentem praeclara suorum  
 18 et totum quae facta vehuntur laude per orbem.  
 19 Materiamque dare aggreditur, si quem tamen ista  
 20 saecula ferre queant, aut si ventura poetam,  
 21 qui digna aeternae faciat praeconia famae,  
 22 o Carole, o magni suboles generosa Philippi,  
 23 tertius a divo qui ducere Maximiano,  
 24 tu ne ille es Carolus Carolo de principe Quintus  
 25 Romani Imperii, de quo tot carmina vatum  
 26 arma per edicunt totum victricia mundum.  
 27 Cujus et ante suum memorantur nomina partum.  
 28 Formaue descripta est, et castae nobile mentis  
 29 ingenium, ut jam quisque tuos quod viderit annos  
 30 et genitum saeclo sese laetetur in isto.  
 31 Ergo tibi non sola subest Europa, nec illa  
 32 terrarum plaga qua declivis ab aethere Phoebus  
 33 solvit equis spatio fumantia lora peracto,  
 34 sed tua se longe infinita potentia tendit  
 35 ulterius, trans Herculeis inclusa columnis  
 36 inque Atlantiacum freta prospicientia pontum,  
 37 unde obeunt vastum ferratae Nerea classes,  
 38 exquiruntque novas hominum super aequora sedes,  
 39 atque alium inveniunt disclusum fluctibus orbem,  
 40 Indiam ab occiduo venientes litore. Nec gens  
 41 nec locus incursus illarum pertulit ullus,

42 ipsae divitias auri argentique reportant,  
 43 et pretiosarum gemmarum lucida dona,  
 44 bellorum nervos, pacis decus, atque tuis haec  
 45 expediunt Carole auspiciis, sed tu magis alta  
 46 divino spectas animo, pudet illa tyrannis  
 47 priscorum servire patrum florentia regna,  
 48 sub Scythicoque premi sanctam pede religionem.  
 49 Haec Caroli pia corda tenet dignissima cura,  
 50 nec quicquam sibi majori quod possit honori  
 51 esse videt, quicquam esse Deo nec gratius ipsi,  
 52 barbara quam stricto si ferro fregerit arma,  
 53 proque salute hominum stricto et pro nomine Christi.  
 54 Vindicis ipse igitur dux agminis Africa victor  
 55 litora cum lecto pervadit milite justo  
 56 Marte ferox pulsi fraterno crimine regis  
 57 defensor, Tunetisque caput nunc obsidet urbem  
 58 Maurorum imperii. Quo cum se inferre pararet  
 59 exspectans Siculo venientes aequore naves,  
 60 tunc insigne crucis posteaquam Christidos una  
 61 extulit ille manu sacrae venerabile signum  
 62 militiae, positis genibus sic esse locutus  
 63 armorum sese fertur cingente corona.  
 64 "O socii, neque enim parva aut contempta manus est  
 65 copia in his vestrae Carolo duce et auspice castris,  
 66 haec nos suscepti praecedent signa duelli,  
 67 haec ego capta mea dextra, si quaeritis, ipse,  
 68 complectar vosque ante geram comprehensa fideli.  
 69 Quare si qua ducis reverentia, si qua potentis  
 70 numinis, et si qua est communis cura salutis,  
 71 pro se quisque viri tota huc incumbite mente,  
 72 per vos ut summi caelorum gloria regis,  
 73 perque ut vos vestrae grandescat gloria gentis.  
 74 Sive Itala de stirpe sati seu Baetidos orae  
 75 cultores nostri regni, seu bellica misit  
 76 ad grave discrimen sancti Germania Martis.  
 77 Cernitis hoc toto nil usquam ex agmine desit,  
 78 sunt naves quibus inductis celabitur aequor.  
 79 Quas neque Persarum quondam servilia regis  
 80 agmina, non etiam mare provectae hoc quoque in ipsum  
 81 Atthides, aut opere aut superent felicibus armis.  
 82 Nec tamen umquam aliae memorantur classibus istis  
 83 instructae melius salsas fluxisse per undas.  
 84 Solis est animis opus et formidine casso  
 85 pectore, in imbellem tales proficiscimur hostem.  
 86 Sed pelagi insuetos audita pericula terrent,  
 87 at scitote Deum dominum terraeque marisque,  
 88 versantem aethereo sceptris immortalia templo,  
 89 desuper in sibi devotas nil triste cohortes  
 90 passurum inferri. Dextraque superne potente  
 91 propulsaturum mala telluris salique.  
 92 Illo nos modo praesenti me pectore freti  
 93 quisque ducem cupide sequitor." Sic fatus in altum  
 94 produci rates jubet, et simul excipit ipsum  
 95 Doriaca insignis cura edita fabrica puppis.  
 96 Vela aquilonalis sinuant flabra annua venti,  
 97 ordine procedunt sulcantes uda carinae



98 marmora, Sicelidos fit aquae res mira puellis  
 99 insulae, et in pelago convulsae innare videntur,  
 100 et trepidae emergunt redimitum fluctibus ulva  
 101 ore tenus caput, et se rursus in ima recondunt,  
 102 armorum insolitis radiis ceu fulguris ictae,  
 103 percussaeque sono horribili quos aerea mittit,  
 104 flammivomo ore globos elidens machina ferri,  
 105 has senior ponti in Nereia tecta reversas  
 106 demulcet blando appellans sermone futura  
 107 praedicente suo, memoratque oracula Proteus.  
 108 Haec est illa dies, haec lux est festa, sorores,  
 109 quam votis longo jam tempore saepe petivi,  
 110 quae pacis fert in cunctas exordia terras.  
 111 Ergo quies et laeta vigeant otia rebus  
 112 humanis. Non ulla magis piratica toto  
 113 insidiosa bonis grassabitur aequore puppis.  
 114 Nunc tibi finis adest Getici vis impia regni,  
 115 quam nimis est perpessa diu clementia magni  
 116 Numinis in terras saevam nostrasque furentem  
 117 aequoris in sedes. Caroli debere triumphis  
 118 materna Caroli Sequana de stirpe, diu jam  
 119 debita Francigenae dextrae. Sed dum sibi fatis  
 120 conciliat genus eximii stirps illa Rudolphi,  
 121 interea orbis clade ferox, et inulta fuisti.  
 122 Nunc fortuna retro cedit tua. Cede potenti  
 123 cede Deo. Et Caroli invictas vitare cohortes  
 124 deditioe velis, et palmas tendere inermes,  
 125 ante pedes abjecta solo victoris, et unam  
 126 supplex de illius summa sperare salutem  
 127 qua servare solet quoque mansuetudine captos.  
 128 Aut refuge in montes, Scythicasque require latebras.  
 129 Per Tanaim cum mox glacie pons junctus eunti  
 130 jam praebebit iter, vel fluctus curre per arctos  
 131 quam quondam Inachiam fama est tranasse puellam.  
 132 Nec rabies te pervertat conflagrare bello  
 133 utque velis acie decernere. Nil tibi restat  
 134 successus sortisve bonae. Tulit omnia carus  
 135 ipse Deo Carolus, cujus si numen adoras  
 136 sique humilis veniam petis, est fortasse salutis  
 137 spes non abjicienda tibi, spem ponito regni.  
 138 Ista senex illae attonitae sermonibus aures  
 139 praebant etiam facto jam fine loquendi.  
 140 Tandem animis hilares, vix spemque suam capientes  
 141 vota canunt Carolo, resonant Lilybeia late  
 142 litora et illustri scintillans Aetna favilla.  
 143 I Care, i mundi felix melioris origo,  
 144 ad decus i Carole aeternum. Nunc terminus instat  
 145 tristitiaequae malis. Hic et tecum incipit una  
 146 prosperitas et pax procedere, gaudia tecum,  
 147 tecum sancta quies et fessis otia terris.  
 148 Ecce nitet solito lux clarius, et silet aether  
 149 aptaque sola tuis insurgunt flamina velis  
 150 caerulei fluctus rident. Te te omnia rebus  
 151 humanis Carole exspectant spem, teque salutem.  
 152 Nunc fugit exitium, pestis fugit ante malorum  
 153 morborumque lues, inopisque carentia victus.

154 Nunc etiam cessant odiorum dira venena  
155 unaninique omnes conjungunt foedera corde.  
156 Pergite felices Carolo duce, pergite turmae.  
157 Vos manet ah frustra multis fortuna cupita  
158 militiae, et sancti summo sub numine Martis,  
159 imperio Carolo infinita provincia cujus  
160 est data totius mundi. Te moenia nulla  
161 nulla acies Carole excludet. Pelagusque solumque  
162 ille Deus Deus ille tibi qui excivit, aperta  
163 reddet. Quin etiam si res ferat, aera et ipsos  
164 caelorum pandet tractus, ne quid tibi toto  
165 possit inaccessum fieri aut obsistere mundo.  
166 Hoc celebrant vitreum cantu Nereides aequor  
167 illud divina Carolo duce classe superbum  
168 exsultat sternitque vias, portusque recludit,  
169 Africa terra tuos. Veteris Carthaginis arces  
170 praetereunt, Tunetisque petunt hostilibus urbem  
171 mentibus atque armis. Getici tremit impia turba  
172 praesidii, atque animo visis modo frangitur illis,  
173 et pugnare jubet pudor et formido retentat.  
174 Numen adest jacite arma procul. Pudor omnis abesto  
175 concessisse Deo, gaudet cui cedere rerum  
176 Natura, illi etiam dubiis nunc mentibus astant  
177 materiamque volunt Caroli praebere triumphis.  
178 Jamque freti ingentes neque propugnacula turrets  
179 non muros obstare sinit sibi, non sibi fossas  
180 leve quibus terris immisit barbarus aequor.  
181 Invehitur portu Caroli jam classis aperto,  
182 caesa jacent passim summersaque corpora ponto  
183 crebraque depressae passim exstant fragmina puppis.  
184 Jam ductor pelago cedit parvaque manu se  
185 per Numidum tostas fugiens subducit harenas,  
186 cognomenta cui sunt Russae congrua barbae.  
187 Exsultat captiva hominum gaudetque caterva,  
188 libertate sua, Carolus nam liberat omnes  
189 conservans profugo placato milite regi  
190 incompilatam quam Marte receperat urbem.  
191 Macte animo et virtute, Dei dux inclute. Nunc te  
192 gloria perpetuae famae redimire corona  
193 gloria caelesti properat fulgore renidens.  
194 Te canimus, te dehinc rebus feliciter actis  
195 in terra penitus stabilita pace canemus  
196 nec pariant tibi inornati fastidia versus.  
197 Grataque sit cupida concepta in mente voluntas.  
198 Indigno celebrandi ingentia carmine facta.  
199 Hoc pater ipse Deus rerum suprema potestas  
200 et fieri patitur nec forti offenditur ausu,  
201 praebet et incultis divinas cantibus aures.

